DE STATV PAGANORVM SVB CHRISTIANIS IMPERATORIBVS:

SEV

COMMENTARIVS AD TITVLVM X. *DE PAGANIS,* *LIBRI XVI.* *CODICIS THEODOSIANI.*

AVCTORE
IACOBO GOTHOFREDO,
IN PARLAMENTO
PARISIENSI
Advocato.

TYPIS GOTTHARDI VOEGELINI
ANNO 1616.

NOB. ET CL. V.

PETRO PVTEANO, IC.

IACOBVS GOTHOFREDVS. S.

ET datam publicè nuper, & priuatim obligatam apud te fidem (V. CL.) pro parte liberatum nunc eo. Sic oportuit, nexus vnà contractos vnâ quoque solutione dispungi. En tibi igitur THEODOSIANI CODICIS, à me noua propediem editione repetendi, siue probam, siue mauis specimen. Leue fateor, sed quo, velut periculo, non virium mearum magis, quàm iudicii tui, similiumue paucorum, censuram explorandam mihi duxi: Quò videlicet, si quid hoc cœpto me fugit, vt certè fugit, in tempore, vel tu maximè, moneres. Cœterùm, delectus hic à me nunc é Codice Theodosiano titulus, quòd vtilitate sese mihi inter cœteros potissimùm commendaret: vt pote, non ignobilem HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ partem illustrare valens. Sic enim ego pro comperto iamdudùm habeo, Epocharum, quas fides nostra celebrat, non postremo loco censendam illam, quæ delectis Imperio Gentilibus solidam Christianæ religioni libertatem, (sub CONSTANTINO M. scilicet) conciliare cœpit. Certé, Veterem Ecclesiam, tantæ felicitatis memorem, annos exinde suos aliquando putare solitam, non vanâ fide, accepimus. Ἀπὸ τῆς εἰρήνης, inquam, τῶν Ἐκκλησιῶν. Hâc lætissimâ namq;

pace vel id effectum maximè, ne Gentiles sæuum aliquid atroxue in Christianos emoliri deinceps in commune valerent. At non ideò minùs illi subinde velle, seu conari: aut de pristino quidpiam in Christianos odio remittere. Solemne sanè Gentilibus hoc inter cœtera criminandi genus, quo clades quibus humana negotia incursarentur, CHRISTIANIS TEMPORIBVS imputare soliti fuère: *Quasi ad impietatis vindictam* (vt quidam ait) *lege suâ naturæ decretum transiret*. Nam, si quod *Incendium* oriretur, in inuidiam illicò Christianorum Tempora vocari: si *bellum* infeliciter gestum: si deletus *exercitus*: si *Annonæ* defectus aut publica fames timeretur, vel etiam vrgeret, Christianorum Temporum Sacrilegio id omne Pagani deputare: si piger *Nilus* (qui apud Ægyptios agricolæ cœlique vicem præstat) cunctanter sese ac languidè alueo efferret, neque ad iustam mensuram ascenderet, turbulenti statim Temporum Christianorum obtrectatores emergere: Postremò, cùm Romanas Barbari prouincias peruaderent, resque publica paulatim pessùm iret, atque Vrbs etiam, Orbis Domina, sæpiùs obsessa, non semel quoque irrumperetur, totiens Pagani Christianis Temporibus *δυσκληρίαν* hanc omnem, seu Reipubl. Romanæ inclinationem tribuere soliti.

Iam quis effroenem ipsorum IMPERATORVM NOMINA maledictis lacessendi, atque in eos scribendi qui proscribere poterant, proteruiam in Gentilibus abundè miretur? Tantam etiam, vt hanc vnam, vix aliam scribendi rationem scriptorum nonnulli haberent: Quod de Eunapii Chronicis vt Photio referenti, sic & aliorum eius scriptorum collatione credi fas est: & de Zosimi pariter Historia cuiuis Lectori constare potest. Enimuerò, vt de multis in

Con-

Constantinum M. Christianæ nonnisi religionis odio iactatis, pauca nunc delibem, Principem hunc Imperio Romano, quæ secuta postea fuit, ruinam conciliasse non vnus scriptorum calumniatur: Profusionem item & auaritiam ab eiusdem temporibus in Imperium Romanum inuectas criminantur alii. *Constantem* pariter non conuitiis modò Zosimus proscindit, verùm & Symmachus meritâ eum, per Magnentii factionem, morte occubuisse haud obscuris verbis, apud Christianum Principem verba faciens, innuere veritus non est. *Iouianum* item, Principem pietate insignē, Gentiles ægre ferentes, nedum carminibus famosisque libellis appetendum sibi duxêre, sed etiam velut Imperii proditionis reum conspiratione factâ scriptores complures immerentem fecere. *Theodosium* deniquè, Traiano quoq; Imp. meliorem, & à potissimis Gentilium scriptoribus (Themistio, Latino Pacato, Symmacho, Claudiano) suprà omnes retrò Principes commendatum, Zosimus acerbiùs insectandum sibi putauit. At quid post hæc omnia Christiani Principes? Vel Theodosii, quem dixi, constitutio auro contrà digna, id nobis ostendet. *Si quis modestia nescius*, inquit, *& pudoris ignarus improbo petulantiq; maledicto* NOMINA NOSTRA *crediderit lacessenda, ac temulentiâ turbulentus obtrectator* TEMPORVM *fuerit, eum pœna nolumus subiugari, neq; durum aliquid nec asperum sustinere: quoniam, si id ex leuitate processerit, contemnendum est: si ex insaniâ, miseratione dignißimum: si ab iniuriâ, remittendum, &c.*

Sed neque isto, similiue criminandi fine maleuolum Gentilium in Christianorum Tempora, Principesue propositum stetit: Verùm & IMPERII PRINCIPVMQVE SECVRITAS ab his attentata sæpé fuit.

Præſentis quippe ſtatus pertæſi Gentiles, vel ſceleſtarum partium ſeu factionum ſocii, vel earum ſanè plauſores ſubinde extitère. Enimuerò, *Magnentium* Conſtante cæſo Gentiles ſibi fauentes habuiſſe, vel ſacrificia nocturna Romanis ab eo reſtituta abundè fidem faciunt. *Maximo* Tyranno pariter Gentiles fauiſſe probat apertè ſatis illud, quòd cùm Gratianus Pontificis Maximi habitum ſibi à Pontificibus oblatum auerſatus fuiſſet, vnus ex his dixiſſe feratur, *ſi Princeps appellari Pontifex renuit, admodùm breui Pontifex*, MAXIMVS *fiet*: Deinde & hoc, quòd Symmachus laudes eius inſigni Panegyrico proſecutus legatur. *Eugenius* quoque ad Imperium capeſſendum, Valentiniano Iuniore cæſo, Gentilium vaticiniis & diuinationibus (velut qui eâ re religionis immutationem ſibi pollicerentur) proceſſit: Quos ideò etiam ipſe, Arâ Victoriæ ſumptibusq; cœremoniarum Romanis reſtitutis, ſibi obſtrinxit. *Eucherius* etiam Stilichonis filius, iam inde à puero Chriſtianorum perſecutionem meditans, ad conciliandum ſibi Gentilium fauorem, inſtaurandis templis imbuturum ſe regni primordia pollicebatur: neq; alia improbandæ cœdis eius Olympiodoro Zoſimoque ratio fuit, cùm cœteri ſcriptores, Gentiles quoq;, iure cœſum eum pronuncient. *Attalum* Tyrannum denique Pagani Tyrannide deiectum non parùm luxiſſe memorantur: nempe, quòd Paganos illum ritus amplexurum reſtituturumq; ſperaſſent.

Quid amplius? Et MAGICAS etiam ARTES, ABOMINANDAQVE SACRIFICIA, rerum nouarum temporumq; permutationis Pagani cupientes, frequenter adhibuère: in Principum videlicet fata Succeſſorumque nomina ſceleſto more inquirentes. Memorabilis ille inter alios Gentilium & Mathematicorum

ſub

ſub Valente tractatus, quo Chriſtiani Principis pertæſi, ſuarumq; viciſſim partium Imperatorem auidiùs expetentes, imperaturi poſt Valentem nomen deteſtando diuinandi genere exploratum iuerunt.

Et hæc quidem mihi (V. CL.) Chriſtianorum Principum, aduerſus Paganos & ſacrificia, conſtitutiones retractanti, atque in cadentis Gentilitiæ ſuperſtitionis momenta curioſiùs inquirenti, cauſa, vel potiſſima, nunc occurrit, cur ſeueriſſimis Imperatorum edictis Gentilitios ritus inhiberi contigerit: nempe quòd *& Principibus Chriſtianis infida, & ſperantibus fallax Gentilium ſuperſtitio foret*. Irem ego nunc per ætates & Principes ſingulos huic rei firmandæ; niſi & eius rei probationem, titulus hic ipſe, quem tuo nomini dicatum volui, luculenté præſtaret: & id alioquin molienti calamitatum publicarum ſenſus calamum mihi, imò ſenſum nunc pené omnem, non excuteret. VALE mi Puteane, meq;, quod ſeriò facis, amare perge.

EMENDANDA ET ADDENDA.

p. 2. col. 1. *post hac verba*, & Iuuenalis *Satyrâ 6.* constat, *hac inserantur*.

Et publica quidem fulgura censebantur, cùm publica opera tacta fuissent: vt in specie huius legis.

p. 10. *in lit. i. pro* Consultororum *repone*, Consultoriorum.

p. 11. col. 2. *post secundam lineam hac inserenda*:

Vt partim Christianos ad ea celebranda quoque cogerent: vt *lex 5. supr. de Episcopis: & canon. 60. Codicis Africani.* testantur. Partim verò sponte, &c.

eadem p. 11. *post finem notarum ad l. 8. hac addi cupio.*

Ex hac interim lege, vt & *l. 17. inf.* apparet, Votorum publicorum celebritatibus, veluti Ludis, sacrificia adhibita fuisse. Quæ quidem sacrificia, *Lustrorum sacrificia* vocantur in l. 5. *sup. de Episcopis.* Neque mirum; Votorum quippe celebritates seu ludi in Deorum fermé honorem instituti fuerant, vt Tertullianus *in Apologetico & lib. de spectaculis* pluribus exequitur: & nos alibi dicemus.

p. 12. lit. d. *adde*. Rectè: non, metalli: vt.

p. 23. lin. 20. *post* Valentiam, *insere*, Britanniam primam.

p. 26. col. 2. pro *varol*, repone *vaol*.

DE PAGANIS, SACRIFICIIS ET TEMPLIS TIT. X. LIB. XVI.

PARATITLON.

PAGANI, *quos vulgò appellant*, l. 46. ſup. de hæreticis, *antiquiore (inter cætera) vocabulo*, Gentiles *nominabantur*. l. 43. 46. 63. ſupr. hoc eodem Cod. de hæreticis, & l. 21. h. t. (*vnde, Gentilitia quoq; ſuperſtitio* l. 12. h. t. *&, ſuperſtitiones Gentilium* l. 63 ſup. de hæreticis: *Profeßiones deniq; Gentilitia*, l. 20. h. t. *dicuntur*.) *At* Paganorum (*quod ſub Chriſtianis primùm Imperatorib. nomen cæpit*) *antiquißima mihi mentio ſub Valentiniano A. D. CCCLXV*, in l. 18 ſup. de Epiſcopis, *occurrit: & Frequens inde, nominis eius hoc Codice* (Rubricâ, & l. 13. 19. 21. 22. 23. 24. 25. ht. & l. 26. ſup. de Iudæis: & l. 1. & 2. ſupr. de apoſtatis) *memoria fit*. I. de PAGANIS. Vnde Pagani dicti fuerint, diſquiro ad. l. 13. ht.

Inter Paganos autem ſeu Gentiles, qui huic ritui adminiſtrare ſolebant, l. 2. ſ. de maleficis, *non pauci hoc Codice memorantur. Omnes certè, Profeßionum Gentilitiarum*, in l. 20. h. t. *ſeu Profeßionis damnata*, in l 14. h. t. *nominibus deſignantur. Eorum qui Roma erant, hi tantùm hoc Codice memorantur; Pontifices*, l. 3. ſup. de ſepulchro violato. *& Virgines Veſtales* l. 8. ſup. de Medicis. *At per prouincias hi recenſentur*. SACERDOTES l. 14. h. t. l. vlt. ſupr. de Tyronib. & l. 60. & 166. ſup. de decurionibus *qui & Sacerdotales* (l 77. 145. 176. 1. SACERDOTES ſeu ſacerdotales prouinciarum, qui.

* *

ſup de decurionib. & l.vlt. ſup. de Tyronib & l. 52. 54. ſup. de hæreticis. l. 2. ſup. quemadmodum munera ciuilia.) *vocantur: & Sacerdotes paganæ ſuperſtitionis*. l. 20. π. ht. *Vnde Sacerdotium* l. 1. ſup. de Spectaculis, & l. 46. 77. 166. ſup. de decurionib. *& Sacerdotii munus* l. 176. ſup. de decurionib. *dicitur. Erant autem hi Sacerdotes ſiue Sacerdotales ſingulis & ſolidis prouinciis præpoſiti: Vnde prouinciæ Sacerdotes* l. 38. ſup. de Epiſcopis. l. 46. 148. ſup. de decur. & Nouella Martiani de Matrimon. Senatorum 4. *& prouinciæ ſeu prouinciarum Sacerdotium* l. 75. & l. 174. ſup de decurionibus. *Indeq́; etiam, Archieroſyna* l. 112. ſupr. de decurion. *dicta. Prouinciarum, inquam, veluti per Africæ diœceſin: vnde Africani Sacerdotales* d. l. 145. ſup. de decurion. (*ad quos propriè* lex vlt. ſup. de Tyronib & lex 21. 46 166. 174. 176 ſup. de decurionib. l. 2. ſup quemad. mun. ciuil l. 38. ſup. de Epiſcopis, lex 52. 54. ſup. de hæreticis, *pertinet: & ad Byzacenæ nominatim in Africa prouinciæ Sacerdotes ſpectat* lex 60. ſup. de decurionib.) *Itemq́; & per Galliarum præfecturam*. l. 75. ſup. de decurion. *Indeq́; etiam Sacerdotes ipſi à prouinciis quibus præpoſiti erant, nomina ſortiti fuêre: veluti Aſiarcha & Syriarcha* l. 2 ſup. de exp. ludor. (*vnde & Syriarchia quoq́;, pro Syriæ Sacerdotis munere* l. 103. ſup. de decurion. *accipitur*) *Hincq́; etiam Archieroſyna Aegypti*, d. l. 112. ſupr. de decurion. *vocatur. Sanè, id Antiochenæ quoq́; vrbis in Syriâ dignitati tributum fuit, vt ſuum propriumq́; Sacerdotem haberet: qui Alytarcha dicebatur, vt* lex 12. ſup. de iure fiſci, & d. l 2 ſup. de expenſ. ludor. *docent*.

Electio Sacerdotum. ELIGEBANTVR *autem, promouebantur, ſeu creabantur Sacerdotes ſiue Sacerdotales, ex Curialium Corpore* l. 21. 46. 60. 75. 77. 103. 112 145 148. 166. 174. 176. ſup. de decurionib. *gradatim & per ordinem*, d. l. 75. & 77. *publico prouinciæ tractatu habito*, d. l. 148. *idonei*, d. l. 166. *ſeu digniſſimi meritis & facul-*

cultatibus d. l. 148. *probatis actibus consonâ ciuium famâ, & publicè ab vniuerso ordine comprobati*, d. l. 75. *sic, vt in consequēdo hoc honore potior esset is, qui patria plura praestitisset*, d. l. 112. *Et erat tamen munus hoc voluntatis, non necessitatis*, d. l. 103. *Sic, vt nec filii eorum ad Sacerdotium inuiti eligerentur:* d. l. 166.

Ad Sacerdotum seu Sacerdotalium CVRAM *primùm Templa, templorumq́; Solemnia pertinebant* d. l. 112. *Deinde, aduocati templorum erant, vt* lex 38. in fi. sup. de Episcopis *ostendit. Magnis postremò expensis fatigabantur*, l. vlt. supr. de Tyron: *Tyronum quippe praestationi, (excepto tantùm Africa prouincia Sacerdote) obnoxii erant*, d. l. vlt. *Deinde Agonothetae erant* l. 2. sup. de expens. ludor. *eorumq́; nomen (vt loquitur* d. l. 2.) *votiua festiuitatis Solennitas dedicauerat, id est, Editiones seu spectacula eorum expensis ac sumptibus procuranda erant* l. 1. sup. de spectaculis. *Vnde, Sacerdotiorum editiones* d. l. 1. *dicuntur, Et à prouincia etiam ipsius nomine Syriarchia, pro ludis à Syriarchâ seu Syriae Sacerdotali exhibitis*, l. 1. sup. de praediis Senator. *dicitur. Festis porrò ac legitimis diebus editiones ista, summâq́; pompâ peragebantur* l. 176. supr. de decurion. *Et in ciuitatibus aut locis quae antiquitas delegerat*, d. l. 1. *vt puta in metropolitanis vrbibus, veluti Karthagine* l. 145. & d. l. 176. sup. de decurionibus, & l. 20. ht. — *Cura & onera Sacerdotum.*

At non modica inuicem Sacerdotibus seu Sacerdotalibus, &c. PRIVILEGIA *antiquo iure, seu veteri more, constitutiq́; maiorum concessa seu delata erant (vt loquitur* l. 12. sup. de iure fisci. l. 14 ht. & l. 60. supr. de decurion.) *quae sub Christianis etiam Principibus aliquamdiu illis relicta fuère. Vnde, honor Sacerdotii* l. 21. sup. de decurion. *Ipsiq́;, honoribus splendere* d. l. 21. *honoribus intrà prouinciam mancipati* l. 46. supr. de decurion. *honore decorati* l. 176. sup. de decurion. *dicuntur. Immunes quippe, etiam post Sacerdotium, erant, otioq́;* — *Priuilegia Sacerdotū.*

fruebantur. d l. 75. ſup de decurionib. *Immunes (inquam) à muneribus ciuilibus omnibus, etiam annona Præpoſiturâ*. l. 2. ſup. quemad. mun. ciuilia. *& Præpoſitura manſionum*. l. 21. ſup de decurion. *inferioribusq; muneribus aliis*. d. l. 2. *Corpus inſuper eorum ab iniuriis (i. à quæſtione) liberum erat*. d. l. 75. ſup. de decurion. *Et honor quoq; eis excomitibus addebatur* d. l. 75. *Et Alytarcha vrbis Antiochenæ nominatim, vnius Cupreßi ex luco Daphnenſi excidendæ, & plurium plantandi facultas erat*. l. 12. ſup. de iure fiſci. *Verùm, Sacerdotum priuilegia Arcadii Conſtitutione poſteà. an. 399. per Orientem aboleri* l. 14. ht. *iuſſa ſunt*.

2. FLAMINES. *Poſt prouinciarum Sacerdotes*, FLAMINES *erant, & nominatim quidem per Africam* l. 2. ſup quemad. mun. ciuil. l. 21. ſup. de decurion. *Vnde Flamen & Sacerdos*, Nouellâ Martiani 4: *Sacerdotales & Flamines*. d. l. 2: *Flamonii honor & Sacerdotium* d. l. 21. *iunguntur*. *Erant autem Flamines in ſingulis municipiis: Vnde Flamen municipalis*, Nouellâ Martiani 4. *dicitur*. *Horum quoſdam perpetuos fuiſſe* d. l. 2. ſup. quemadm. munera ciuilia, *docet*:

3. MINISTRI, &c. *Præter Sacerdotes & Flamines, erant &* MINISTRI, PRÆFECTI, & HIEROPHANTÆ AGRORVM (*fortè, Sacrorum*) *per Orientem* l. 14 ht. *Erant & per Africam in oppidis, qui Frediani & Dendrophori dicebantur* l. 20. ht. & l. 10. ſup. de & Centonar. & Dendroph. *Erant deniq; & Chiliarchæ*, d l 20. *& Centonarii* d. l. 20. & l. 162. ſupr. de decurion. & d. t. de Centonar. *quiq; plebis diſtributionem ſibi vſurpabant*. d. l. 20.

4 HARIOLI & HARVSPICES, &c. *Præter hos omnes, tam in prouinciis quam in vrbe, erant, &* HARIOLI, AVGVRES, VATES, CHALDÆI, MAGI l 4. ſup. de Maleficis. MALEFICI MATHEMATICI, dt de Malefic. HARVSPICES *deniq*. l. 1. ht. & l. 1. 2. 4. ſup. de Maleficis. (*vnde Haruſpicina*, l. 9. ſup. de Malefic.) *à qui-*

à quibus scilicet quid quodq́, (veluti fulgura, publica priuataq́) portenderet, requirebatur, d. l. 1. ht. *Quibus omnibus diuinandi curiositas erat* d. l. 4. *Hi, vt consuli* d. l. 4. *ita eorum responsa ad consultationes* l. 9. *Interpretationes seu denunciationes dicebantur*, d. l. 1. ht. *Hac de Professionibus Gentilitiis*.

II. de SACRIFICIIS. Seu ritibus Gentiliciis.

RITVS *& religio Gentilium, seu vetus Obseruantia* l. 1. ht. *vetus consuetudo* l. 17. ht. *vocantur* in l. 112. de decurionibus. *templorum Solennia, Consuetudinis Gentilitia Solennia*, l 2. sup. de Maleficis. *Solemnitas* l. 19. ht. *Error, & error veterum, profanus ritus* d. l. 17. ht. *Sacrilegus ritus* d. l. 19. *Superstitio* l. 2. 3. 16. 20. *damnabilis* d. l. 17. *damnata*, l. 20. *deterrima*, d. l. 20. *impia*, l. 6. sup. de apostatis. *Pagana superstitio* l. 2. ht. *dementia*, Nouellâ Theodosii 3. *Pagani ritus* l. 21. ht. & d. l 2. *cultus* d. l. 2. *Stolida Paganitatis error* l. vlt. supr. de spectaculis. *Et ipsi Pagani eâ re, abominandi* d. l. 26. supr. de Iudæis.

I. SACRIFICIA.

Consistebant autem Gentilitii ritus potissimùm in SACRIFICIIS, Rubr. & l. 1. 4. 8. 15. 17. 18. 20. *celebrandis* l. 2. 17. *faciendis* l. 9. ht. & l. vlt. sup. de apostatis. *Sacrificiis operam dando*, l. 6. *Qua & Sacra dicuntur*, l. 11. 20. ht. *Vnde Sacrificiis se mancipare*, l. 5. sup de apostatis. *Sacrificia facere* d. l. vlt. *pro, Paganum fieri*. *Horum Sacrificiorum alia domestica erant*, l. 1. & 4. ht. (*qua secretioris piaculi appellatione* in l. 12. ht. *indicantur*) *alia verò publica* l. 1. & 2. sup. de Maleficis. *alia diurna* l. 7. ht. *nocturna alia*. l. 5. & d. l. ht. *Lustrorum Sacrificia quadam* l. 5. sup. de Episcopis. *Alia ad incertorum, id est, præsentium futurorumue veritatem explorandam* l. 7. 9. ht. *qua dirorum carminum* d. l. 7. *vetitorum Sacrificiorum* d. l. 7. *prohibitorum Sacrificiorum spectatim appellatione* l. 8. *designantur*.

Hac omnia, execranda dæmonum Sacrificia vocantur l. 23. ht. *execranda hostiarum immolationes* l. vlt. *abominanda*

Sacrificia, l. 13. *funesta*, l. 7. sup. de Maleficis. *Et Sacrificiorum inde insania* l. 2. *nefaria licentia*, l. 5. *Sacrificiorum porrò ritus sequentes hoc titulo narrantur: Hostias immolare, victimas cadere*, l. 10. 12. *spirantia exta consulere* d. l. 12. *Vnde inspectio iecoris extorumq́ (quorum præsagio spem alicuius promissionis accipiebant)* l. 9.

2. SIMVLACRA. *Consistebat & Gentilitius ritus in colendis* SIMVLACRIS l. 6. 8. 10. ht. *quæ & mortali opere formata factaue auumq́ passura Simulachra* l. 10. & 12. *sensu carentia* d. l. 12. *dicuntur. Item, idola* l. 13. ht. & l. 6. sup. de apostatis, *vanaq́ Imagines* d. l. 12. *Inde Simulachra suspicere* l. 20. *venerari* l. 12. *colere* l. 6. *imagines honorare* d. l. 12. *Hic porrò imaginum cultus varius erat: Larem quippe, igne: Mero, Genium: Penates, nidore venerabantur. In horum honorem lumina accendebant, thura imponebant (vnde thuris vapore fumare loca dicuntur) serta suspendebant, arbores vittis redimibant, aras effossis cespitibus erigebant: vt de his omnibus* lex 12. ht. *testatur.*

3. VOTA PVBLICA. *Erant & præterea inter alia Paganorum consuetudinis Solennia* l. 2. supr. de Maleficis. *seu Solennitates* l. 19. ht. VOTORVM *quoq́ celebritates*, l. 8. ht. *seu publica vota* l. 17. *quibus voluptates populo exhibebantur, id est, Ludi, conuiuia item exercebantur, seu inibantur. Vnde festi conuentus vrbium, ciuium, communisque lætitia dicitur*. d. l. 8. & 17.

III. de TEMPLIS. *Loca, in quibus Gentilitia Sacra celebrabantur, & aræ simulacraq́ erant, funesta loca*, l. 19. *Polluta* l. 11. *vocantur: & erant*, TEMPLA, Rubr. & l. 4. 8. 16. 19. ht. l. 2. 3. supr. de apostatis. *quæ &, ædes templorum dicuntur* l. 3. ht. *ædes*, l. 8. *ædificia templorum* l. 16. *Item Fana (Vnde fana & templa coniunguntur* l. 7. 12. 13. 19. 25. ht.) *Delubra deniq́* l. 2. sup. de Maleficis (*Vnde delubra & templa* l. 10. 11. ht. *deniq́ fana, templa, delubra* l. 25. *coniunguntur*) *Templa porrò hæc fanaue erant partim publica, priuata partim*, l. 12.

tam

tam in oppidis quam in ciuitatibus. l. 19. *Item, extrà muros ciuitatum posita*. l. 3. *vt &, extrà oppida* l. 9. *postremò, & in agris*. l. 16. *Possessionibus putà, tam Principis, quàm priuatorum* l. 19.

In his locis (præter Simulachra de quibus anteà dictum) erant & ARÆ, l. 12. 19. ht. & l. 2. 3. supr. de apostatis. *Quarum alia publicæ dicuntur*. l. 2. supr. de Maleficis. *Ad horum templorum custodiam etiam quidam appositi erant*. l. 1. sup. de fide Catholica. ARÆ.

His deniq; templis, fanis, delubris, Sacrificiis, Sacerdotibus, conuiuiis, publici sumptus, l. 20. ht. *deputati erant, quæ &* ANNONÆ *templorum*. d. l. 20. *& expensa ad superstitionem pertinentes* d. l. 20. *dicebantur. Erant enim loca quædã Sacris ep Olis vel sumptibus deputata*. d l. 20. *quæ ædificia iuris templorum dicuntur*. l. 41. supr. de operib. publ. l. 8. supr. de iure fisci: *Fundi templorum seu de iure templorum*, titulo de locatione fundorum iuris Emphyteutici & Reipublicæ & templorum. l. 10. supr. & l. 4. 5. illius tit. *Possessiones de templorum iure, & iuris templorum*. l. 24. & 32. supr. de petitionibus. ANNONÆ templorum.

§ HARUSPICES, *tam ob priuata, quàm publica fulgura, extra domestica sacrificia, consulere Constantinus permittit.*

I. *Imp.* CONSTANTINUS *A.* *ad Maximum* *

SI quid de Palatio nostro, aut coeteris Operibus Publicis degustatum fulgore [a] esse constiterit, retento more veteris obseruantiæ, quid portendat ab Haruspicibus requiratur, & diligentissimè scriptura collecta ad nostram scientiam referatur. Coeteris [b] etiam usurpandæ hujus consuetudinis licentiâ tribuendâ, dummodo sacrificiis domesticis abstineant, quæ specialiter prohibita sunt. Eam autem denuntiationem adque interpretationem, quæ de tactu Amphiteatri scribta est, de quâ ad Heraclianum Tribunum & Magistrum Officiorum scripseras, ad nos scias esse perlatam. Dat. XVI. Kal. Ian. Serdicæ Acc. [c] VIII. Id Mart. Crispo. II. & Constantino. II. CC. Coss. [i. A. D. 321.]

* P.V. Romę. *v. Auctorem Notitia Praefectorũ Vrbi: & l. 11. suprà de appellationibus.*

a] Fulgor *hic, pro fulgure: Et vtrumq;, pro fulmine seu κεραυνοβολίᾳ. v.* GLOSSAS *nostras.*

b] i. Priuatis.

c] *Romæ.*

NOTÆ.

HARVSPICES consulendi potestatem Constantinus M. hâc constitutione facit: quæ & ante biennium quoq; mens illi fuit, *l. 1. & 2. suprà hoc eodem Codice, de maleficis.* Eodem scilicet exemplo, quo & Magicas idem artes, verùm innoxias, hoc ipso anno, exerceri impunè voluit, *l. 3. dicto tit.* Quod vtrumq; iure mireris in Principe, per nouennium iam (ab Anno scilicet Domini, CCCXIII.) Christianam fidem amplexo & in alios quoq; propagante. Vt de Zosimi proinde fide, Constantino passim obtrectantis, non vbiq; dubitandum, vel hoc argumento constet.

A

Nam & is, Constantinum, post Licinium interfectum (triennio post hanc legem latam) Haruspicibus fidem adhuc habuisse tradit *lib. 2. p. 685.* ἐχρῆτο γ', inquit, καὶ ἔΤΙ, καὶ τοῖς πατρίοις ἱεροῖς, οὐ τιμῆς ἕνεκα μᾶλλον ἢ χρείας, ἢ καὶ ΜΑ'ΝΘΕΣΙΝ ΕΠΕΙ'ΘΕΤΟ. &c. *Adeò*, (quod alicubi Varro scripsit) *consuetudo malé importata est inextinguibilis.* Verùm, mutatâ paulò post idem Princeps in melius mente, Haruspicinam penitùs sustulit, vt idem Zosimus & Eusebius *lib. 2. de vitâ Constantini. c. 43.* produnt. Et in eo secutus posteà Patris exemplum, Constantius. *l. 4. sup. de maleficis & l. 4. h. t.* & vtrumque, Valens Imp. *l. 8. eod. tit.* At, non etiam Valentinianus: Hic enim Princeps, inter religionum diuersitates medius (vt de eo Ammianus *lib. 30.* censet) Haruspicinam, ne nocenter exerceretur, hactenus neq; vltra vetuit, *l. 9. eod. titulo.* Notandum interim ad hanc legem, duo Fulgurum olim genera Haruspices constituisse: ***Priuata*** nempe, quæ priuatis: ***Publica***, quæ Republicæ Principiue aliquid portenderent siue denunciarent: vt ex Senecâ *2. Natural. 48*: Plinio *lib. 2. c. 52.* & Iuuenalis *satyrâ. 6.* constat. Ob vtraq; fulgura seu fulmina Haruspices consuli permittit hâc lege Constantinus: Ob publica tamen, eâ lege, vt Haruspicum Interpretationes ad eius notitiam perferantur: Ob priuata, vt ne sacrificiis domesticis, (cùm ad procuranda seu expianda fulgura sacrificiis opus erit) opera detur: De quo ad titulum *de maleficis* commodius agetur.

Degustatum] *Degustatum*, rectè, pro tactum, disiectum, derasum, exustum: Haruspicinæ vocabulo, ni fallor, proprio: quod & Lucanus *lib. 2.* inde transtulit. *Nec cùm subsiliunt ignis ad tecta domorum, Et celeri flammâ* DEGVSTANT *tigna trabesq;*: Pro quo idem, *lib. 5. Ambesse*, i. ambedere, dixit. *Ignis enim superauit, &* AMBENS *multa perussit.* Eodemque sensu, Virgilius, *lib. 12.* de Lanceâ infixâ, *summum* DEGVSTAT *vulnere corpus.*

Scriptura collecta] Vel reponendum, *Scripturâ collectum.* Vel, quod præferam, *strícturâ collectâ.* Haruspicinæ iure quippe dispersas & dissipatas fulmine stricturas, seu reliquias in aceruum diligenter collectas, sacrificio facto condi solitas notum est. Lucani *lib. 1. v. 606.* de eo locus insignis —— DISPERSOS FVLMINIS IGNES COLLIGIT, *& terra tacito cum murmure condit.* Quem locum Vetus etiam Iuuenalis scholiastes *satyrâ. 6. v. 585.* enarrat. *Reliquias fulminis* Acron, ad *finem libri de arte Poëtica*, vocat: *Reliquias* (inquit) *fulminis Pontifices cum sacrificio sepeliebant.* Quæ reliquiæ, *Strictura* hîc, proprio Haruspicinæ vocabulo, vocantur, qualia pleraq; hâc lege

legē continentur: Vt, *Degustandi*, *Fulgoris*, *Colligendi*, *Portendendi*, *Denunciationis*, *Interpretationis*, *Tactus*. Et certè, Suetonius etiam, *in Octauio. c. 29. Perstringendi* vocabulo, hâc in re, ceu τεχνικῷ, vsus est. *Cum lecticam*, inquit, *eius* FVLGOR PERSTRINXISSET, *seruumq́ prælucentem exanimasset*. Et alioquin, quid *ferri strictura* sint, ex Virgilio, Nonio & Glossis iam notum est: Item, quo sensu Virgilius *lib. 8. Tyberim, stringentem ripas & pinguia culta secantem* dixerit, pro exedentem, & imminuentē.

¶ SACRIFICIA à *Constantio, Constantini P. exemplo inhibentur*.

II. Imp. CONSTANTIVS. *A. ad Magdalianum agentem vicem PF. P.*

CEsset superstitio, Sacrificiorum aboleatur insania: Nam quicumq; contra legem Diui Principis Parentis nostri *, & hanc nostræ mansuetudinis iussionem, ausus fuerit sacrificia celebrare, coNpetens in eum vindicta, & præsens sententia exeratur. Acc. Marcellino & Probino Coss. [i. A. D. 341.]

* *Constantini M.*

SACRIFICIA Constantinum M. edicto sustulisse, præter hanc legem & Eusebium passim, vt & Theodoretum *lib. 5. c. 20.* quod de dirutis ab eo simulachris, aris, & templis siue clausis siue dirutis, ad proximé sequentem legem dicemus, euincet. Cyrus quoq; Monachus. τῶν αἰσχρῶν, inquit, καὶ μυσαρῶν ἐναγισμῶν ὀργίων σχολὴν κατεψηφίζατο καὶ πάσης βδελυρίας. Patris igitur exemplum secuti in eo filii eius: quod & ipse Constantius hâc lege de se profitetur, & Sozomenus *lib. 3. c. 16.* de Constantini filiis omnibus refert. καὶ τοῖς πατρῴοις, inquit, νόμοις ἐπιψηφιζόμενοι, καὶ οἰκείους τιθέντες νόμους, τὸ τῶν θύειν, ἢ ξόανα θεραπεύειν, ἢ ἄλλως ἑλληνικῶς θρησκεύειν ἐπιχειρούντων. &c:

¶ TEMPLA, *etiam extra muros Vrbis Romæ, destrui vetat Constans.*

III. Idem A. [a] *ad Catullinum P. V.* [b]

a] CONSTANTI (*Romam tenentis*) *tribuēda hæc lex.*
b] Romæ. *v. quoq. Notitiā Præfectorum urbis in A. D. 342. 343. 344.*

c] i. aras & simulachra.

d] Vrbis Romæ.

e] Scænicorũ.

f] i. Ludorum. v. Glossas nostras.

QVamquam omnis superstitio [c] penitùs eruenda sit, tamen volumus, vt ædes Templorum, quæ extra muros [d] sunt positæ, intactæ incorruptæque consistant: Nam, cùm ex nonnullis vel Ludorum [e], vel Circensium, vel Agonum origo fuerit exorta, non conuenit ea conuelli, ex quibus Populo Romano præbeatur priscarum sollemnitas voluptatum [f]. Dat. Kal. Nouemb. Constantio [g] IIII. & Constante III. AA. Coss.

g] κ. Constantio. III. & Constante. II. i. A. D. 342.

Templa Gentilium Constantini M. edicto, excisis aris, occlusa fuisse, præter Orosium *lib. 7. c. 28. inf.* Theodoretum *lib. 5. c. 20.* & Cyrus Monachus prodidit. οὗτος, inquit, καθεῖλε τοὺς βωμοὺς, ἔκλεισε τὰ τεμένη. At Cedrenus, etiam templa ab eo euerti iussa anno Imperii eius 26. & 27. ait. τὴν τῶν ναῶν, inquit, αὐτῶν κατάλυσιν ἐπέτεινε. Hieronymus *Chronico*, nominatim *Edicto Constantini Gentilium templa euersa fuisse* scribit. Recté: nam & Eunapius quoq; *in v. Aedesii p. 37.* celeberrima templa à Constantino euersa disertis verbis testatur. Κωνσταντῖνος, inquit, τά τε τῶν ἱερῶν ἐπιφανέστατα καταστρέφων. Itaq; malé Theodoretus *d. c. 20*, qui Constantinum, *sacrificia quidem, templorumq; ingressum, prohibuisse, at non etiam templa demolitum*, asserit. Patris igitur (Constantini. M.) exemplum secuti filii eius, in aris & simulachris excidendis. Id enim est, quod hæc Constantis lex iubet, *Omnem superstitionem penitus erui*: Et quod Symmachus, *relatione ad Valentinianum*, de arâ Victoriæ agens, *aras & simulacra Constantis facto & imperio eruta vel erui iussa* indicat. Postremò hûc etiam & ad hanc proprié legem pertinet, quod Iulius Firmicus Maternus, ad Constantium & Constantem scribens, *Post* EXCIDIA, inquit, TEMPLORVM *in maius Dei estis virtute prouecti: Vicistis* HOSTES, *propagastis Imperium, & mutato ac contempto temporum ordine,* HYEME *tumentes ac sauientes vndas calcastis Oceani. Sub remis vestris incogniti iam nobis prope maris vnda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem* BRITANNUS *expauit.* Qui Firmici locus ad Constantem propriè pertinet: qui post templorum excidia, i. post templa superstitione suâ, aris videlicet & simulachris, spoliata, hoc ipso anno 342. FRANCOS vincit ac

Ὠνητάριδος Γαλάτας ἐπλευσε: quiq; , post Francos deuictos, sequentis anni 343. principio, sæuâ hyeme Bononia Galliarum vrbe digressus, in Britanniam nauigauit: vt ex Socrate *lib. 2. c. 10.* Hieronymi Chronico. *& l. 5. sup. de extraordin. siue sordidis muneribus*, in Francicis, quia Annalium Ecclesiasticorum Conditorem fugerunt, dicemus. At in euertendis templis Constantini patris exemplum Cōstans hâc l. secutus non est: quanquam non deessent, qui per hæc ipsa tempora profanarum ędium seu tēplorum quoq; ruinas seriò suaderēt: quod propositum Iulio Firmico Materno fuit, *libro de errore prophanarum religionum, ad Constantium & Constantem.* Rationem huius legis, illustrabit hic Lactantii locus *lib. 6. c. 20. Ludorum*, inquit, *celebrationes Deorum festa sunt: siquidem ob natiuitates eorum, vel* Templorum novorum dedicationes *sunt constituta.*

¶ Templa *vbiq; occludi à Constantio iubentur*: Divinandi *curiositas &* Sacrificia *sub gladii, proscriptionisq; bonorum pœna, rursum inhibentur.*

IV. Idem A. ad Taurum PP.[a]

PLacuit, omnibus locis adque vrbibus vniuersis claudi protinùs Templa; &, accessu vetitis omnibus, licentiam delinquendi[b] perditis denegari. Volumus etiam, cunctos Sacrificiis abstinere. Quòd si quis aliquid forte huiusmodi[c] perpetrauerit, gladio vltore sternatur: Facultates etiam perempti fisco decernimus vindicari; & similiter adfligi Rectores prouinciarum, si facinora vindicare neglexerint. Dat. Kal. Dec. Constantio[d] III. & Constante II. AA. Conss.

* L. 1. Cod. Iust. eod. tit. vbi malè, *Cōstantino* hæc lex tribuitur.
a] *Italia.* Fuit autem P P. ab A. D. 353. ad A. D. 361. v. Notitiam nostram.
b] i. diuinandi. v. Notas.
c] i. Haruspices, &c consuluerit: Vel sacrificauerit.
d] in Cod. Iust *Constantio IV. & Constantio VI.* [i. A. D. 353.]

Templa Gentilium, vt à Constantino M. sic & à filiis eius occlusa fuisse Sozomenus rursum *l. 3. c. 16.* testatur, ναοὺς, inquit, τοὺς πανταχοῦ κειμένους ἐν πόλεσιν, ἐν ἀγροῖς κεκλεῖσθαι συνέβαινεν. Quibus verbis dubium non est, quin Sozomenus hanc legem intellexerit. Prohibentur & hac lege, à Constantio rursum *sacrificia*, omnisq; *diuinandi*, & Haruspices vel Hariolos &c. consulendi curiositas: (de quo. v. & eiusdem Imp. *legem 4.*

& 6. sup. de maleficis.) Id enim est, quod hâc l. Delinqvendi vocabulo Constantius (inuisæ sibi cum primis artis appellationem studio forte euitans) innuere voluit: Nisi quis pro *delinquendi*, hîc, *de fine quærendi* legere malit. Vt in hac eadem re, *l. 12. inf. Finem quærere salutis alienæ*, dicitur: & Horatius *1. Carm. 11. Tu ne quæsieris, (scire nefas,) quem mihi quem tibi Finem Di dederint Leuconoë.* & Tacitus *lib. 12. Scribonius in exilium agitur, quasi finem Principis scrutatus.* Pro quo alibi dicitur, *super, seu de salute, & de capite consulere*, apud Tertullianum *Apologetici. c. 35.* Paulum *5. sentent. t. 21.* Spartianum *Seuero: & l. 12. inf.* Item, *fata scrutari.* Tacito *lib. 16.* &, *de vita interrogare* Firmico *Mathes. l. 2. c. vlt.*

¶ Sacrificia *nocturna, à Magnentio Tyranno Romæ permissa, abolentur.*

* Romæ. v. *l. 2. sup. de indulg. crim. & l. 11. sup. quorum appell.* & Aucto rem Notitiæ Præfectorum Vrbi & veterem inscript.

V. Idem A. ad Cerealem P. V. *

Aboleantur Sacrificia nocturna Magnentio auctore permissa, & nefaria deinceps licentia repellatur, &c. Dat. VIIII. Kalend. Decemb. Constantio. A. VI. & Constante Cæs. II. Coss. [i. A. D. 353.]

Magnentius, Constante cœso, Sergio & Nigriniano Coss. (i. A. D. 350.) 15. Kal. Februarias tyrannidem assumpserat. auctores Socrates *lib. 2. c. 21. in pr.* & Fastorum Siculorum auctor. Verùm Constantius A. 352. (Constantio 5. & Constante Cæs. Coss.) in Pannoniâ agens, & quidem Sirmii, (vt præter Socratem *d. l. 2. c. 27.* & Sozomenum *lib. 4. c. 3.* docet hoc Codice *lex. 8. sup. de petitionibus. & l. 6. sup. de veteranis:* & Codic. Iustinianeo *lex. 5. qui testamentum facere.*) Magnentium é Pannoniâ in Italiam fugauit: Vbi Magnentius ipsâ vrbe Româ potitus est; Vt præter hanc legem Socrates etiam *d. lib. 2. c. 27.* & *lex. 2. sup. de indulgen. criminum* ostendunt: sic quidem vt Præfectos, vrbi præfecisse eum, auctor peruetustus Notitiæ Præfectorum & Ammianus *lib. 16.* (vbi de Adelphio P. V. agit,) prodant. Verùm, ex Italiâ rursum in Galliam recipere se coactus à Constantio Magnentius: sic vrbe Româ Italiaq; Constantius potitus est, atq; à Magnentio contra ius gesta protinùs infirmauit, *l. 5. sup. de infirm. his quæ sub Tyrannis*: Mox autem (Constantio 6. & Constante C. 2. Coss. i. A. D. 353.) Magnentium in Galliam persecutus, apud Lugdu-

Lugdunum eum, 18. Kal. Septembris, profligauit: vt Socrates *lib. 2. c. 27.* memoriæ prodidit: cùm tribus videlicet annis & sex mensib. integris (Zosimo *lib. 2. p. 701.* & Eutropio *lib. 10.* testibus) imperasset. Hinc est, quòd hoc ipso Consulatu, paucis post eam victoriam diebus, 8. Iduum Septembris, *lex. 2. supr. de indulgentiis crim* LVGDVNO data hoc Codice proponitur. Post hanc itaq; victoriam, abolendis quæ Magnentii Tyrannis inuexerat, præter legem 4. ht. duæ nominatim ad Cerealem P. V. Romæ à Constantio promulgatæ constitutiones fuerunt: nempe, dicta lex 2. & hæc lex 5. Quem quidem Neratium Cerealem, à 6. Kalendarum Octobris superioris Consulatus, (seu anni 352.) ad 6. Iduum Decembris huius anni 353. Præfectum vrbi fuisse, Notitia Præfectorum testatur: De quo in NOTITIA nostrâ pluribus. Inter alia porrò, quæ Magnentius Romæ, obtinendæ scilicet dominationi, inuexerat, nocturna sacrificia erant, quæ Constantius hâc lege nunc aboleri iubet. Quo exemplo, & Valentinianus postea nocturna sacrificia in quibusdam Imperii sui partibus perniciosiùs inuecta, prohibere necesse habuit *l. 7. supr. de maleficiis & Zosimus lib. 4. p. 735.* Nisi quod ea per Græciam, (& Eleusinia nominatim mysteria) restituere coactus fuit: eodem Zosimo teste.

¶ SACRIFICIA, *& Simulacrorum cultus, sub capitis pœnâ à Constantio inhibentur.*

VI. Idem A. & Iulianus Cæs. * * * *

POena* capitis subiugari præcipimus eos, quos operam Sacrificiis dare, vel colere Simulacra constiterit. Dât. XI. Kal. Mart. Med. Constantio A. VIII. & Iuliano Cæs. Coss. [i. A. D. 356.] * pro Pœnæ.

SACRIFICIA, & Simulacrorum cultus hâc Constantii lege sub capitis pœnâ rursùs inhibentur. Ideoque Ammianus *lib. 16.* in huius ipsius anni 356. gestis. *Julianum* OCCVLTE *Mercurio supplicasse* scribit. Quinimò Victoriæ aram per hæc tempora, à Constantio Romæ sublatam Symmachus, *Relatione ad Valentinianum, lib. 10.* & Ambrosius quoque *lib. 2. contra Symmachi relationem* testantur. Et tamen vt Constantius hæc fecerit, Gentilitiæ nihilominùs religionis eum loca Sacerdotumque priuilegia Romæ intacta reliquisse Symmachus. *d. Relatione* refert. Idq; con-

confirmat etiam, quod de ſolemni eius, ſequente anno 357, Romam ingreſſu, iuxta Symmachum, Ammianus quoque *d. lib. 16.* narrat.

§ Sacrificia *conſulteria, * diraq; carmina, à Theodoſio M. per Orientem inhibentur.*

VII. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. Floro PF. P. [a]

SI qui Vetitis [b] Sacrificiis, diurnis nocturniſque [c], velut væſanus ac ſacrilegus incertorum conſultorum [d] inmerſerit, fanumque ſibi aut templum [e] ad huiuſcemodi ſceleris excuſationem adſumendum crediderit, vel putauerit adeundum, proſcribtioni ſe nouerit ſubiugandum: Cùm nos iuſtâ inſtitutione moneamus, caſtis Deum precibus excolendum, non diris carminibus profanandum. Dat. XIII. Kal. Ian. Conſtp. Eucherio & Syagrio Coss. [i. A. D. 381.]

* *v. Macrob. 3. Saturn. 5.*

a] Orientis. *v. l. 3. ſup. de primiceriis.*

b] Non omnibus Sacrificiis itaque; ſed Conſultoriis tantum, quæ mox deſignantur *v. & l. 8. 9. inf.*

c] *v. l. 5. ſup.*

d] χ Conſultor animum.

e] Templa itaq; hoc adhuc tempore patebant.

A Conſtantio, ad Theodosii leges, magno Principum & annorum (25. ſcilicet) hiatu, nunc promouemur: vt pote, nullis Iuliani, Iouiani, Valentiniani, Valentis, Gratiani, aduerſus Paganorum Sacrificia & templa, legibus hunc in titulum relatis. Cuius rei cauſa hæc eſt: *quia* (verba ſunt Symmachi *in Relatione ad Valentinianum* hanc in rem ſingularia) *ſi numerentur hi*, (quos dixi.) *Principes Vtriuſq; ſectæ, Vtriuſq; ſententiæ, proximus eorum coeremonias patrum* (i. Gentilium) *coluit*; *recentior, non remouit:* Diſſimulationem & conniuentiam horum poſteriorum Principum ideò Symmachus laudat; memorat & Ambroſius *lib. 1. & 2. aduerſus Symmachum*. Enimuerò, Ivlianvs (quod ſciunt omnes) in Apoſtaſim prolapſus, Deorum Templa cultumque reſtituit, & in Gentiles à Conſtantino, Conſtante, Conſtantio facta ſancitaq; reuocauit. Hic itaq; eſt, quem Symmachus, Gentilium ſcilicet ſectæ & ſententiæ, *patrum coeremonias coluiſſe* tradit. Iulianum Iovianvs ſecutus eſt: Is etſi Chriſtianus, ἐθελοθρησκείαν nihilominùs, rerum neceſſitati cedere coactus, inuexit: quo nomine à Themiſtio, *Oratione 12.* (quæ ὑπατικὸς inſcribitur, habitâ A. D. 364.) & cuius etiam

etiam Socrates *lib. 3. c. 21, in f.* meminit) multis commendatur. Valentinianus pariter, inter religionum diuersitates medius (vt ex Ammiani *lib. 30.* iam ante diximus) leges in Imperii sui exordio dedit quibus vnicuique, quod animo imbibisset colendi liberam facultatem tribuit: vt totidem ipsemet verbis, in *l. 9. sup. de maleficiis* tradit: & Symmachus quoq; *relatione ad filium eius in f. Spectat*, inquit, *Jenior ille Diuus Parens culminis vestri, ex arce sydereâ lachrymas Sacerdotum, & se culpatum putat, More violato, quem libenter ipse seruauit.* Nocturna tantùm, & malefica sacrificia Valentinianum sustulisse *lex 7. & 9. sup. de maleficiis*, vt & Zosimus *lib. 4*, ostendunt. Ac vt per Occidentem Valentinianus, ita per Orientem quoque Valens malefica tantùm sacrificia *l. 8. supr. de maleficiis* prohibuit. Imò & liberam similiter Principatus initio, religionis cuiusq; amplectendæ potestatem (si vera est Themistii Oratio, quæ à Duditio Ep. Latiné modò, vulgata fuit) fecit. Deniq; & Agonem Constantinopoli, θυσίας ἢ πανηγύρεις, Valentem restituisse Hieronymus *Chronico* & Cedrenus testantur. Superest, ex his quos initio recensui, Gratianus. Hunc Victoriæ quidem aram Romæ rursum diruisse, priuilegia, stipendia, prædia seu agros Vestalium, locaque quæ sacris error veterum deputauerat ademisse *lex, 20, ht.* & Symmachus *in relatione*, vt & Ambrosius testantur: Neque tamen ideò Gentilitios ritus lege prohibuisse Gratianus deprehenditur. His itaq; quæ nunc paulò prolixius disserui, constat, quod Symmachus *Principum recentiorem Patrum coeremonias non remouisse* scripsit, id de Iouiano, Valentiniano & Gratiano accipiendum esse: Etsi Annalium conditori longè aliter visum. Sequuntur proinde nunc hoc titulo Theodosii M. constitutiones. Hunc sanè Principem, in huius ipsius anni 381 gestis, Zosimus *lib. 4. p. 755* hoc adhuc tempore, Gentilibus templa adeundi, patriisq; ritibus numina placandi potestatem fecisse memoriæ prodidit. ἦν γὰρ, inquit, ἔτι αὐτοῖς ἀδεία τῷ φοιτᾷν εἰς τὰ ἱερὰ καὶ τὰ θεῖα κατὰ τοὺς πατρίους θεσμοὺς ἐξιλάσκεσθαι., Rectè: nam & hâc lege duabusq; sequentibus, (lege videlicet octauâ & nonâ) non omnia sacrificia, verùm Consultoria tantùm i. ea quæ ad incertorum (futurorum puta præsentiumue) veritatem exquirendam fierent, diraque carmina per Orientem inhibentur. Hâc itaque interpretatione emolliendum, quod Sozomenus *lib. 7. c. 20.* Theodosium ἀρξάμενον βασιλεύειν, τῶν θρησκευομένων περὶ Ἑλλήνων τόπων ἐπιβαίνειν prohibuisse scribit: Neque enim statim aut ἀθρόως id, verùm posteà (anno D. 391. & 392) factum fuisse *lex 11. & 12. in f.* docebunt.

§ *Votorum celebritati, templum quoddam in Osdroëna, Simulacris refertum, citra Consultoria sacrificia Theodosius patere iubet.*

VIII. Idem[a] *AAA. Palladio Duci Osdroënæ.*[b]

AEdem[c] olim frequentiæ dedicatam[d] coetui etiam populo quoque communem, in quâ simulacra feruntur posita, artis pretio[e] quàm diuinitate metienda, iugiter patere publici consilii auctoritate decernimus (neque huic rei obreptiuum officere sinimus oraculum) vt Conuentu[f] Vrbis & frequenti coetu videatur[g] * * Experientia tua, omni Votorum celebritate seruatâ, auctoritate nostri ita patere Templum permittat oraculis[h], ne illic prohibitorum[i] vsus sacrificiorum, huius occasionis[k] aditus, permissus esse credatur. Dat. prid. Kalend. Decemb. Constp. Antonio & Syagrio Coss. [i. A. D. 382.]

a] *Pro* Iidem. b] de Osdroëna prouinciâ v. & *l. 79. sup. de decur.* & *l. 2. sup. de præd. & mancip. curial.* dicam in Notitia. c] i. Templũ: sic enim *hl.* mox vocatur non Basilicâ, quod Baronius voluit. d] Vel Vrbis hic nomen latet: nam & mox *Conuentu vrbis*, dicitur: vel reponendum, *frequentia Deûm dicatam.* e] ἴλασμις τῦ *magis.* f] *Conuentus* hic proprie vt *l. 17. inf.* v. Glossas. g] Forte, *adeatur*, vt inf. *aditus*. Deinde præmittenda sequenti sententiæ vox *Igitur*. h] ꭓ Oraculi. i] Consultororum *v. l. 7. sup. & l. 9. inf.* k] ꭓ Occasione.

Votis Publicis celebrandis, templum in Osdroënâ prouinciâ quoddam insigne, simulacrisque refertum populo patêre Theodosius hâc lege iubet: Neque enim statim vt sacrificia (vel quædam, vel etiam penitùs) inhibita sunt, & Vototum quoque celebritates prohibitæ fuerunt: quod ex *l. 17 & 19. inf.* rursum constabit. Votorum celebritates *hl.* seu (vt vocantur *d. l. 17.*) Vota publicâ sunt: Primò Ludi, (quorum etiam originem ex templis nonnullis exortam iam *ex l. 3. supr.* didicimus:) Et in his quidem Maiumæ spectaculum, de quo suo loco dicetur. Conuiuia item, seu festa conuiuia (vt in *d. l. 17. & 19.* appellantur) Kalendarum pariter Ianuariarum, per hæc adhuc tempora, solennitas, quæ & festis conuiuiis peragebatur: vt horum temporum scriptores Ambrosius *sermone 17*, Asterius Amaseæ *Homiliâ 4. de Festo Kalendarum*, Prudentius *lib. 1. contra Symmachum* testantur. Vota pública

blica ſunt hîc rurſus (& quidem Votorum appellatione βοτῶν in Synodo Trullenſi, at non & *in l. vn. Imp. de oblatione Votorum*, deſignata) quæ tertio die Ianuarii pro ſalute Principis in templis ſuſcipiebantur, feſtisq; pariter conuiuiis & ὀργίαις peragebantur. Quod (ne vetuſtiora huc arceſſam) ſub hoceodem Imp. Theodoſio, (cuius hæc lex eſt,) factitatum, in Aſiâ nominatim, σύγχρονος ſcriptor Eunapius *in v. Maximi ſub finem* teſtatur. Erant hoc præterea Votorum publicorum numero, quæ canon *42. Synodi in Trullo* Βρουμάλια, id eſt, Bromialia in honorem Bacchi (vt Balſamon, & Tzetzes *ad lib. 2.* ἔργων *Heſiodi* teſtantur) celebrabantur. Adeò autem publica, quæ recenſui, Vota Gentilibus aliquandiu & diutius relicta fuerê, vt contagione quâdam à Chriſtianis quoque recepta fuiſſe Auguſtinus *ep. 64. ad Aurelianum*, & Ambroſius *d. ſerm. 17.* vt & Petrus Chryſologus *ſerm. 155.* conquerantur: Et Synodi quoq; ea prohibere neceſſe habuerint, & in his nominatim Synodus, quam dixi, in Trullo. Καλάνδας, καὶ Βοτὰ (ait. *d. can. 42.*) καὶ Βρουμάλια καὶ ἡ τῇ πρώτῃ τοῦ Μαΐου πανήγυρις τῆς τῶν πιστῶν πολιτείας περιαιρείσθωσαν: Vbi Balſamo iocculariter lapſus, qui τὰ Βοτὰ ἀπὸ τῶν βοτῶν, id eſt, ἀπὸ τῶν προβάτων deduxit, & feſtum id in Panis honorem agitari ſolitum prodidit.

§ Sacrificia *Conſultoria, & Vatum Conſultationes per Orientem à Theodoſio prohibentur.*

L. 2. Cod. Iuſt. eod. tit.

VIII. Idem [a] *AAA. Cynegio PF. P.* [b]

NE quis mortalium ita [c] faciendi Sacrificii ſumat audaciam, vt inſpectione iecoris, extorumque præſagio, vanæ ſpem promiſſionis accipiat: vel (quod eſt deterius) futura ſub execrabili Conſultatione [d] cognoſcat. Aceruioris etenim inminebit ſupplicii cruciatus eis, qui, contra vetitum, præſentium vel futurorum explorare temptauerint veritatem. Dat. VIII. Kalend. Iun. Conſtp. Arcadio A. I. & Bautone V. C. Coſs. [i. A. D. 385.]

a] Malè: Iam enim *Gratianus* ſuperiore a. 384. (8: Kal. Septemb) coeſus, & Arcadius A. creatus fuerat. Itaque tribuenda hæc lex Valentiniano, Theodosio & Arcadio.

b] Orientis. Fuit hic PP. ab A. D. 384. ad A. 389. c] Non omnia itaque Sacrificia hâc l. inhibentur: non magis, quàm *l. 7. & 8. ſup.* d] Haruſpicum, Augurum Vatum, Chaldæorum, Magorum &c. *v. l. 1. ſup.*

Sacrificia rursum, sicut *l. 7. & 8. sup.* non omnia, verùm exploratoria tantùm seu consultoria, Haruspicum item Vatumq́ &c. Consultationes, per Orientem à Theodosio sub capitis pœnâ hâc constitutione prohibentur: curâ eius rei Cynegio PP. Orientis datâ. Imò &, (si Zosimo credimus *lib. 4. p. 762.*) prohibendis penitùs per Ægyptum Sacrificiis, & occludendis templis Cynegius hic à Theodosio missus in Ægyptum fuit. ΚΥΝΕΓΙΩ, inquit, τῷ τῆς αὐλῆς ὑπάρχῳ πεμπομένῳ κατὰ τὴν Αἴγυπτον προστεταγμένῳ τε πᾶσι τὴν εἰς τὰ θεῖα θρησκείαν ἀναγορεῦσαι, καὶ κλεῖθρα τοῖς τεμένεσιν ἐπιθεῖναι. Et mox. ΚΥΝΕΓΙΟΣ τῶν κατὰ τὴν Ἑῴαν καὶ τὴν Αἴγυπτον ἁπασῶν ἱερῶν καὶ αὐτὴν δὲ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἀπέκλεισε τὰς εἰσόδους, θυσίας δὲ εἶρξε τὰς ἐξ αἰῶνος νενομισμένας καὶ πᾶσαν πάτριον ἁγιστείαν.

§ Sacrificia, *Templorum aditus, Simulacrorum cultus à Valentiniano iun. prorsus inhibentur.*

X. Idem [a] AAA. ad Albinum PF. P. [b]

NEmo se hostiis polluat, nemo insontem [c] victimam cædat, nemo delubra adeat, templa perlustret, & mortali [d] opere formata simulacra suspiciat, ne diuinis adque humanis sanctionibus reus fiat. Iudices [e] quoque hanc formam contineant, vt si quis profano ritu [f] deditus Templum vspiam, vel in Itinere [g], vel in Vrbe adoraturus intrauerit, quindecim pondo auri ipse protinùs inferre cogatur: nec non Officium [h] eius parem summam simili maturitate dissoluat, si non & obstiterit Iudici, & confestim publicâ adtestatione retulerit: Consulares [i], senas: Officium eorum, simili modo: Correctores [k] & Præsides, quaternas: Apparitiones [l] illorum, similem normam [m] æquali sorte dissoluant. Dat. III. Kal. Mart. Med. Tatiano & Symmacho. Coss. [i. A. D. 391.]

a] qui lege *9. suprà.*
b] forte. PF. V. Romæ scilicet: Quod octo cõstitutiones anni 389. docent: & duę sequentis anni 390. *v. l. 27 sup. deoperib. publ:* Item, ea verba huius *l. vel* IN VRBE.
c] *v. l. 12. inf*
d] *v. & d. l. 12.*
e] *al.* Iudicem quoque hæc forma contineat. *Iudicem*, i. Proconsulem, Vicarium.
f] Ritui.
g] v. Apuleiũ. *initio 1. Florid.*
h] i. Officiales.
i] Veluti, Æmiliæ, Liguriæ.
k] Veluti, Lucaniæ & Brittiorum.
l] i. Apparitores.
m] i. Summam: vt, *sup. & l. 12. inf*, parem summam.

Sacrificia, Templorum ingressus, simulacrorumq; cultus à Valentiniano Iuniore per Præfecturam Italiæ hâc l. prorsus inhibentur. A quo Principe paucos ante annos, pars Senatus Romani, Aram Victoriæ à Gratiano dirutam, priuilegia item prædia que Virginum Vestalium restitui, (petitionem eius prosequente Symmacho P.V.) impetrare non potuerat. Hanc porrò legem, paucis annis labentibus, ab Eugenio Tyranno delusam (vt pote inter coetera Arâ Victoriæ, impensisq; templorum ab eo Romæ restitutis: Vt Ambrosii ad Eugenium epistola, & Paulinus *in v. Ambrosii* testantur.) cæso Eugenio Theodosius Romæ anno 394. retulit: Vt disertis verbis Zosimus *lib. 4. p 779. & lib. 5. p. 814*. prodit: vt & Prudentius, *lib. 1. & 2. contra Symmachum* tribus locis: hoc inter cœtera, cùm Honorium Theodosii huius filium alloquens *Quodq; Patri*, inquit, *superest successor laudis habeto, Ille urbem vetuit taurorum sanguine tingui*.

---

§ Sacrificia, *Templorum aditus, per Aegyptum à Theodosio prorsus inhibentur*.

XI. Idem AAA. Euagrio PF. Aug. [a] *& Romano Com. AEgypti.*

a] i. Augustali.

NVlli Sacrificandi tribuatur potestas, nemo Templa circumeat [b], nemo delubra suscipiat [c], interclusos sibi nostræ Legis obstaculo profanos aditus recognoscant. Adeò, vt si qui vel de Diis aliquid, contra vetitum, sacrisq; molietur, nullis exuendum se indulgentiis recognoscant [d]. Iudex quoque, si quis [e] tempore administrationis suæ, fretus priuilegio potestatis, polluta loca sacrilegus temerator intrauerit, quindecim auri pondo: Officium verò eius, nisi conlatis viribus obuiarit, parem summam Ærario nostro inferre cogatur. Dat. XV. Kal. Iul. Aquil. Tatiano & Symmacho Coss. [i. A. D. 391.]

b] Perlustret. *l. 10 sup.*

c] *κ*. Suspiciat: vt *d. l. 10.* Simulacra suspiciat.

d] *κ*. Recognoscat.

e] Quicunq;.

Sacrificia per Ægyptum à Theodosio, sub pœnâ capitis, hac. l. prohibentur, templorumq; aditus præcluditur. Cuius rei exequendæ negotium Euagrio Præfecto Augustali, & Romano Comiti Ægypti datur. Et eò amplius, Theophilo Alexandrino Episcopo satagente, (cuius etiam Episcopi *l. 6. sup. de his qui super religione* mentio fit) templa ab eodem Euagrio & Romano, (& in his quidem famosissimum illud Serapium seu Serapidis templum) Imperatoris iussu destructa fuisse, Socrates *lib. 7. c. 16.* Sozomenus *lib. 5. c. 15.* Theodoretus *l. 5 c. 20. & 22:* Prosper Aquitanicus (*in hoc Imperatoris Theodosii, post Gratiani cædem, anno octavo, i. a. 391.*) Marcellinus *Chronico:* Hieronymus, *comm. in Esaiam lib. 7.* testantur. Denique & Eunapius *in v. Ædesii p. 73. & 77.* Θεοδοσίου (inquit) τότε βασιλεύοντος, Θεοφίλου δὲ προεστατοῦντος, Ευετίου δὲ [legendum ΕΥΑΓΡΙΟΥ] τὴν πολιτικὴν ἀρχὴν ἄρχοντος, ΡΩΜΑΝΟΥ δὲ τοὺς κατ᾽ Αἴγυπτον στρατιώτας πεπιστευμένου, οἳ ... ἐπὶ τὸ Σεραπεῖον κατέλυσαν &c. Quo loco lapsus humaniter Interpres, qui quem (Euagrium scilicet.) *Præfectum Augustalem* dicere debuit, *Præfectum Vrbi* reddidit, vt præter inscriptionem legis huius, Sozomenus etiam *d. l. 7. c. 15.* arguit. Εὐάγριος (inquit) ὕπαρχος τῆς Ἀλεξανδρείας ἡγεῖτο: & Socrates quoq;, cùm (*d. l. 5. c 16.*) Ἀλεξανδρείας ἔπαρχον nominat, hunc ipsum Euagrium intelligit. Sed neq; felicior idem Interpres, qui eodem Eunapii loco hæc verba, Θεοφίλου προεστατοῦντος, sic vertit, *Theophilo Prætorii præfecto*, cùm debuerit, *Theophilo Episcopante* vel, *Antistite*, vel *Præsidente* Episcopi namque Græcis προεστατοῦντες quoq; καὶ προεστῶτες, vt Latinis, *Præsidere*, *Præsides & Præsidentes* dicti, quod satis notum. Zosimus sanè hanc quoque, Theophilo Episcopo instante Templorum per Ægyptum stragē *lib. 5. p. 799.* perstringit ὁ τῆς Ἀλεξανδρείας, inquit, τῆς ἐν Αἰγύπτῳ Θεόφιλος ὁ πρῶτος ἀρξάμενος τῆς κατὰ τῶν ἱερῶν, καὶ τῶν ἐξ αἰῶνος πατρίων ἐπιβουλῆς.

§ Sacrificia *omnibus vbiq; per Orientem à Theodosio interdicuntur: Sacrificantium, & conniuentium pœna designantur.*

XII. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. ad Rufinum PF. P. [a]

NVllus omninò, ex quolibet genere, ordine hominum, dignitatum [b], vel in potestate positus, vel honore perfunctus, siue potens sorte nascendi, seu

a] Orientis. Qui Tatiano his Coss. suffectus fuit. *v. Zosimum l 4 p. 774. & D. Ambros. ep. 53.*

b] Senatoriæ, equestris, perfectissimatus *v. lib. 6. sup.*

ſeu humilis genere, conditione, fortunâ, in nullo penitùs loco [c], in nullâ vrbe, ſenſu carentibus [d] ſimulacris, vel inſontem [e] victimam cædat, vel (ſecretiore piaculo [f] Larem, ignem erogenium [g]: Penates, nidore veneratus) accendat lumina, inponat [h] tura, ſerta ſuſpendat. Quòd ſi quiſpiam immolare hoſtiam ſacrificaturus audebit, aut ſpirantia exta conſulere [i], ad exemplum Maieſtatis [k], reus (licitâ cunctis accuſatione) delatus, excipiat ſententiam convenientem: etiamſi nihil contra Salutem [l] Principum, aut de Salute quæſierit: Sufficit enim ad criminis molem [m], naturæ ipſius leges velle reſcindere, inlicita perſcrutari, occulta recludere, interdicta temptare, finem [n] quærere ſalutis alienæ, ſpem alieni interitus polliceri. Si quis verò mortali [o] opere facta, & æuum [p] paſſura ſimulacra impoſito ture venerabitur, ac (ridiculo exemplo metuens ſubitoque [q] ipſe ſimulauerit [r],) vel redimitâ vittis arbore [s] vel erectâ effoſſis arâ ceſpitibus [t], vanas imagines, (humiliore licet muneris præmio, tamen plenâ religionis iniuriâ,) honorare [u] temptauerit, is, vt pote violatæ religionis reus, eâ domo ſeu poſſeſſione multabitur, in quâ eum Gentilitiâ conſtiterit ſuperſtitione famulatum [x]: Namque omnia loca, quæ turis conſtiterit vapore fumaſſe, ſi tamen ea in iure fuiſſe turificantium probabuntur, fiſco noſtro adſocianda cenſemus: Sin verò in templis faniſue publicis, aut in ædibus agriſue alienis [y] tale quiſpiam ſacrificandi genus exercere temptauerit, ſi ignorante domino vſurpata conſtiterit, xxv. lib. auri multæ nomine cogetur inferre. Conniuentem verò huic ſceleri par ac ſacrificantem pœna retinebit [z].

Quod

c] Orientis.
d] Varro apud Arnob. initio *lib. 7.*
e] *v. l. 10.* ſ.
f] i. domeſtico ſacrificio.
g] χ. Larem, igne: mero, Genium.
h] v. Glossas.
i] Spirantia conſulit exta Virg 4. Æn. cætera v. in Glossis.
k] Criminis *ſcilicet*, vel, reorum.
l] Dicam titulo *de maleficiis*.
m] v. Glossas: intereà v. Nouellam *Theodoſii* 3.
n] v. Horatium. *1. Carm. 11. & l. 4.* ſ.
o] v. & *l. 10.* ſ.
p] i. Senium occaſum & interitum.
q] χ. Subitò quæ.
r] i. Effinxerit: vel ſibi finxerit. v. Glossas.
s] & t] v. Notas.
v] & x] v. Glossas.
y] Priuatis, vel Principis; aut Publicis.
z] i. Tenebit.

a] v. Paratitlon tituli. *de defensoribus ciuitatum lib. 1. supra.*
b] Curiales, & defensores
c] i. ad Iudices.
d] Iudices.
e] Curiales & Defensores & fortè legẽdum hîc *Hu. i. hi.*
f] Iudices.

Quod quidem ita per Iudices, ac Defensores [a], & curiales singularum vrbium volumus custodiri, vt ilicò per hos [b] comperta in iudicium [c] deferantur, per illos [d] delata plectantur. Si quid autem ii [e] tegendum gratia aut incuria prætermittendum esse crediderint, commotioni iudiciariæ subiacebunt: Illi [f] verò moniti, si vindictam dissimulatione distulerint, xxx. librarum auri dispendio multabuntur. Officiis quoque eorum damno parili subiugandis. Dat. vi. Id. Nou. CP. Arcadio. A. ii. & Rufino Coss. [1. A. D. 392.]

Sacrificia omnia, personis omnibus & locis, per Orientem vniuersum, hâc Theodosii M. Constitutione interdicuntur: Ita quidem, vt hostiarum Sacrificia Maiestatis criminibus connumerentur: At cæteros Sacrificantes, hisque conniuentes, loci, in quo sacrificia peracta fuerint, confiscatione Lex hæc multat: vel, si publicus alienusue locus fuerit, 25 librarum auri pœnam eis imponit. Curialib. postremùm & defensoribus conniuentibus, vt & Iudicibus non vindicantibus, eorumque Officialibus, 30. librarum auri multam lex indicit. Est autem hæc lex, si quæ huius tituli, rituum Gentilitiorum plenissima. De quibus omnibus in Glossis nostris plenissimè dicetur. Et de nonnullis tamen hic, ne curam eorum abiecisse videamur, videndum.

Larem] Totidem literis retentis procliuis hîc cuiuis emendatio: Nam, pro *Larem ignem Erogenium*, legendum quis non videat. *Larem, igne: mero, Genium?* Vel protritum illud Persii sufficiat. *Funde merum Genio.* De cæteris plenâ manu *in Glossis*. Intereà hæc sic distingue. *Lares*, domuum Genii habebantur, & ideò Ausonius quoque sic eos vocat: Θεὸς κατοικιδίους Philoxenus & Priscianus vertunt: Tectorum domuumq; custodes, Arnobius lib. 3. dixit: Præstites, *Ouidius & Plutarchus*: Familiares, *Plautus & alii*. At *Genii* singulorum hominum custodes credebantur, & ab Apuleio *lib. de Deo Socratis*, nominantur.

Serta Suspendat] *Serta* in Sacris Gentilium frequentissima. His templa ornata, Iuuenal. *Satyr. 12. v. 84. Sertaq; delubris & farra imponite cultris:* Vbi Scholiastes, *frondibus*, inquit, *ornabant templa*. Et nominatim templorum

plorum postes sertis ornati, *l. 7. C. Just. de Paganis*. Item Aræ & Simulachra, Sed & Lari nominatim in focum imposita. Sed cui non dictus Hylas?

Redimita, &c.] *Arbores* quoque vittis & tæniis redimire superstitionis Gentilitiæ fuit, Arnobius *lib. 1. aduersus Gentes. Venerabar*, inquit, *nuper veternosis in arboribus tænias*. Idem *lib. 5. Quid lanarum*, inquit, *vellera, quibus arbores colligatis & circumuoluitis stipitem?* Et mox. *Quid compti violaceis coronis &* Redimiti Arboris Ramvli? Prudentius *hymno 14. Ignosco fatuis hæc tantùm vulgaribus, Quos lana terret discolor in stipite*. His addes & Apuleium *Apol. 1. & Ouid. 8. Metamorph*. Mos autem hic posteà diu mansit, ad arbores videlicet adorandi: & quidē in Africa, vt Concilium Carthaginense (habitum a. 401.) *seu canon, 84. Codicis Africani*, & D. Augustinus *Sermone de tempore 241*. testantur. Et per Galliam, vt Sulpicius Seuerus *in v. S. Martini* docet; vt & Cocilium Arelatense 2. Altisiodorense, Nannetense, Agathense, & Capitularium *lib. 1. t. 64. & lib. 7. tit. 236*. Dictæq. hæ Arbores *Sacrinæ*, vt *ex c. 3. Concilii Altisiodorensis*: & *Legibus Longobardicis lib. 2. tit. 38. l. 1*. apparet.

Effossis arâ cespitibus.] *Ara Cespititia* quoq; Gentilibus & subitaneæ ex cespitibus erectæ: Apuleius ideò *lib. 1. Floridor. in pr.* Cespitem libamine humigatum, dixit, & *lib. 7. Metamorph. Aram*, inquit, *cespite virenti Marti Deo faciunt*. Capitolinus, *in descriptione Hecatombes: Centum aræ*, inquit, *vno in loco cespititiæ extruuntur*. Quem cespitem virentem Apuleius vocat, Horatius, *viuum cespitem* dixit *1. Odar. 19 & 3. Odar. 8. Festum cespitem*, Iuuenalis. De his aris & similibus etiam accipiendum, quod Augustinus *Sermone 41*. scribit: *Quicunq; in agro suo aut villa aut iuxta villam aliquam* Arbores, *aut* Aras, *vel qualibet fana habuerit, vbi miseri homines solent aliqua vota reddere*, &c. Ex his apparet interim retentam diutiùs in agris & priuatis possessionibus, publicis quàmlibet locis exterminatam, superstitionem. Idem Augustinus *Sermone 6 de verbis Domini*, de idolis loquens, *Multi*, inquit, *Pagani habent istas abominationes in fundis suis: nunquid accedimus & confringimus?*

---

§ Sacrificia, *Templorumq; aditus ab Arcadio per Orientem prorsus inhibentur*.

XIII. Impp. Arcadivs, *& Honorius AA. Rufino PF. P.* [a]

a] Orientis. vt. *l. 12. sup*.

Statuimus, nullum ad fanum vel quodlibet Templum habere quempiam [b] licentiam accedendi, vel abominanda Sacrificia celebrandi, quolibet loco, vel tempore. Igitur, vniuersi qui à Catholicæ religionis dogmate deuiare contendunt, ea quæ nuper [c] decreui properent custodire, & quæ olim constituta sunt, vel de Hæreticis vel de Paganis, non audeant præterire: Scituri, quidquid Diui Genitoris [d] nostri legibus est in ipsos vel supplicii [e] vel dispendii [f] constitutum, nunc acriùs exsequendum. Sciant autem Moderatores prouinciarum, & his Apparitio obsecundans [g], Primates etiam ciuitatem, Defensores nec non & Curiales, [h] Procuratores possessionum nostrarum (in quibus sine timore dispendii cœtus inlicitos Hæreticos inire comperimus, eò quòd fisco sociari [i] non possunt, quippe ad eius dominium pertinentes) si quid aduersus scita nostra tentatum, non fuerit vindicatum, atque in vestigio ipso punitum, omnibus se detrimentis & suppliciis subiugandos, quæ scitis [k] sunt veteribus constituta. Speciatim verò hâc lege in Moderatores austeriora sancimus & decernimus: namque, his non custoditis omni industriâ atque cautelâ, non solùm hanc multam quæ in ipsos constituta est, exerceri [l], verùm etiam [m] quæ in eos præfinita est, qui commissi videntur [n] auctores: Nec his tamen remissâ, quibus ob contumaciam suam iustè est inrogata. Insuper capitali supplicio iudicamus Officia [o] coërcenda quæ statuta neglexerint. Dat. VII. Id Aug. CP. Olybrio & Probino Coss. [i. A. D. 395.]

b] *κ* quampiam.
c] Hoc ipso anno. *l. 25. 26. sup. de hæreticis.*
d] Theodosii.
e] *v. l. 11 & 12. suprà.*
f] Confiscationis puta loci, in quo ritum exercuerint. *l. 12. sup.* & mox hac *ipsâ l.*
g] i. apparitores Iudicii.
h] & Procuratores, &c.
i] Possessiones.
k] *v. titul. 5. de hæreticis.*
l] *Fortè* exercebis: vel ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repete, decernimus.
m] Eam scilic. pœnam.
n] i. Qui ipsi Sacrificia fecerunt, &c.
o] Officiales.

Sacri-

Sacrificia, & Templorum aditum per Orientem Arcadius hâc rursùm Constitutione prohibet: Patrisque Theodosii & suas, adversus Paganos & Hæreticos, leges confirmat. Et maximè quidem, aduersus Hæreticos: Vt potissimam proinde legis huiusce partem rectiùs in titulum *de Hæreticis* coniectam oportuerit: Nam & his quoque verbis, *ea quæ nuper decreui*, legem *25. & 26. eius tituli de hæreticis*, hoc ipso anno (ad eundem Rufinum PP, cui & hæc lex, inscribitur) datas accipi oportet. *Paganorum* porrò vox, pro Gentili quādo cœperit, quæuę eius appellationis ratio sit, nondum satis omnibus compertum est. Et in eo tentasse nunc aliquid, fraudi spero mihi non fuerit. Sub Christianis quidem primùm Imperatoribus *Paganorum* appellationē cœpisse & mihi constat, & alii iam indicarunt: Verùm, antiquissima, quæ mihi occurrat, eius mentio, in Imperii Valentiniani & Valentis principia, seu in Annum Domini CCCLXV. incidit: & quidem, *in l. 18. supr. de Episcopis*, quæ ad Proconsulem Africæ data est. Fuisse certè hanc vulgi appellationem, *lex 46. sup. de hæreticis*, ostendit. *Gentiles*, inquit, *quos vulgò Paganos appellant*. Vsitatum ideò nomen etiam Augustinus *2. Retractationum 43*. vocat. *Deorum falsorum*, inquit, *multorumq; cultores, quos vsitato nomine Paganos vocamus*. Itaque sic existimare quis iure possit, vulgus Christianorum Gentilibus, qui Christianos variis olim dicteriis seu appellationibus prosecuti fuerant, (vt Tertullianus, *Apologetici. c. 42*, testatur) hoc *Paganorum* nomen reposuisse. *Paganorum*, inquam quasi *simplices, rusticos, & agrestes* dicerent; quo sensu Hesychius vocem παγανὸς quoque accipit: Παγανὸς, inquit, ἰδιώτης, ἄφρων: Sicut & Valentiniani quondam hæretici Catholicos haud absimili dicterii genere, *simplices* vocare soliti fuêre: vt Tertullianus aduersus eos scribens *c. 2. & 3*. ostendit. His & hæc addi ratio possit, quòd inualescente (post Constantinum ad fidem Christianam conuersum) Christianorum nomine, atq; ipsum Principis Palatium occupante, Gentilium religio inter paganos fermè seu rusticos, & vulgares hæreret. Locus apud Prudentium, *lib. 1. aduersus Symmachum*, insignis, quo potissimam Senatus partem Romæ Constantini exemplo fidei Christianæ nomen paulatim dedisse testatur. Verùm, sic ego, re perpensâ diutiùs existimo, *Paganos* à Catholicis Christianis (quorum proprium est vel esse debet, τὸ ἓν φρονεῖν) dictos, quasi non vbique vnum idemque sentientes, μὴ τὸ ἓν φρονοῦντας, verùm *pro pagorum diuersitate* sacris inter se diuersos καὶ ἑτεροδόξους. Siculi Flacci *de condit. agrorum*, locus huc faciet. *Præterea & regiones solent etiam* Diversa Sacra *facere*: *Ita videndum erit, qualiter* Pagi *sacra faciant*. Et hinc *sacra Paganorum*, Au-

ctori de limitibus, *capite de paludibus*, & Innocentio, *de casis literar. quatuor locis*, & Latino V.P. Togato vocantur. Ideoque, pro Gentili, *Prudentius hymno 14. de Romano*, *Pagodeditum*, & idem *in f. lib. 1. aduersus Symmachum*, *pago implicitum*; Et *eod. lib. 1. Gentilia nomina barbaricis pagis*, dixit. Et Orosius etiam, *præfat. libri. 1. ex locorum agrestium compitis & pagis, Paganos vocatos* scripsit. Et ita quidem hâc de re sentio, aliter censendi nihilominùs potestatem cuique faciens.

---

§ Sacerdotum *Priuilegia ab Arcadio per Orientem penitus abolentur.*

XIV. Iidem AA Cæsario. PF. P. [a]

PRiuilegia, si qua concessa sunt antiquo iure Sacerdotibus, Ministris [b], Præfectis, Hierofantis agrorum [c], siue quolibet alio nomine nuncupantur, penitus aboleantur: nec gratulentur se priuilegio esse munitos, quorum professio per legem cognoscitur esse damnata. Dat. Id Dec. CP. Arcadio IV. & Honorio. III. Coss. [i. A. D. 396.]

a] Orientis. *v. l. 14. sup. de bonis proscrip. l. 1. supr. de Maiumâ. l. 9. de indulg. crim.* hoc ipso anno 396.
b] v. Ouidiū. *lib. 4 Fast* Liuium *lib* 1. Iuuenalem *Satyrâ 12.* i. Popis, Victimariis, Camillis, &c.
c] *ξ*. Sacrorum. v. Notas.

Privilegia Sacerdotum per Orientem ab Arcadio hâc lege penitus aboleri iubentur: Quæ per Occidentem iam antè à diuersis retrò Principibus, & à Gratiano Romæ nominatim, sublata fuerant, vt Symmachi *ad Valentinianum Relatio* & Ambrosius *l b. 1. Symmacho respondens* testatur. Quænam verò priuilegia Sacerdotum fuerint, ex Paratitlo repeti potest. Eorum sanè meminit & Symmachus *lib. 4. ep. 62.* qui & à Glebali præstatione, Sacerdotes immunes habendos putabat. *Adiice*, inquit, *si placet, securitati eius Sacerdotii priuilegiū, & vnius hominis munimenta multiplicata: Sed velim noueris, quæsitorū gleba Senatoria protinus affuturos, &c.* In quo tamen Symmachus falsus, vt docet *lex 10. sup. lib 6. t. 2.* ad eam ipsam speciem, quam Symmachus tractat, & ad eundem quoque Felicem PP. Galliarum (cuius eâ videlicet Symmachi epistolâ quoque mentio fit) emissa. Meminit & Sacerdotii priuilegiorum vetus hæc, apud Cuiaciū. inscriptio.

Cvm

Cum Privilegio Sacerdotii Gabninensis Munitus Potuisset ab Honoribus et Muneribus Facile Excusari. Et de Virginum Vestalium priuilegiis nominatim (præter innumeros alios) Symmachus, *in relatione ad Valentinianum* agit. Hâc porrò Lege, etsi Sacerdotum priuilegia per Orientem penitùs aboleri iubeantur, nonnulla tamen deinceps adhùc remansêre: puta, Alytarchæ Vrbis Antiochenę priuilegium, Cupressi videlicet vnius ex luco Daphnensi excindendę, *l. 12 sup. de iure fisci*, quod à Iustiniano tandem abolitum fuit *l. 1. Cod. Iustin. de Cupressis ex luco Daph. excind.*

Hierofantis.] *Hierofanta* apud Atticos inter μυστηρίων πλουσίας Polluci *lib. 1. c. 1* recensentur. Erant itaq; qui sacra docebant & aperiebāt. Præter Laërtium *in Aristippo p. 84*. Hesychius & Suidas: ἱεροφάντης μυσταγωγὸς ἱερεὺς, ὁ τὰ μυστήρια δεικνύων & Plutarchus *in v. Alcibiadis*, ἱεροφάντης δεικνὺς τὰ ἱερά. Hierofantæ apud Atticos meminit & Arnobius, *5. adu. Gentes*: & Eunapius in *Maximo*, vt & Hieronymus, *ad Gerontiam*: & Hierophantæ Archiæ nominatim Demosthenes, *in Nearam p. 533. 534.* Quem Hierophantam, Plutarchus *in v. Numa*, idem, quod Pontificem Maximum Romæ, munus obiisse putat, ὁ μέγιστος τῶν Ποντιφίκων ἱεροφάντου τάξιν ἐπέχει. Tertullianus quoq; *1. adu. Marcionem c. 13.* Ægyptiis Hierophantas sic tribuit, vt Magos Persis, & Indis Gymnosophistas, *Persarum*, inquit, *Magi, & Ægyptiorum Hierophantæ & Indorum Gymnosophistæ.* Vt ex his omnibus appareat, maiorem quoque (vt alia nunc omittam argumenta) Hierophātæ dignitatem fuisse, quàm vt in agros relegandus videatur. Ideoq; sic existimo, *in hâc l*, pro *Hierophantis agrorum*, legendum *Hierofantis Sacrorum*: sic, vt vox ea, *Sacrorum* scilicet, Præfectis etiam & Ministris paulò prius nominatis, apprimè conueniat. Nam *Præfectos & Ministros Sacrorum* fuisse, dictosque iam notum est.

---

§ Ornamenta *publicorum operum (i. Simulacra) per Hispanias & Britannias, prohibitis licet Sacrificiis, ab Honorio deiici prohibentur.*

*XV * Iidem AA [a]. Macrobio PP. [b] Hispaniarum, & Procliano Vic. Quinque prouinciarum [c].*

Sicut Sacrificia prohibemus, ita volumus Publico-

* L. 3. C. Iust. eodem.

a] 1. Arcadius & Honorius: Tribuēda autem hæc lex Honorio.

b] i Propręfectis Hispaniarum. v. Notas.

c] i. Britanniarum. v. Notas.

rum Operum [d] Ornamenta [e] seruari. Ac ne sibi aliquâ auctoritate blandiantur, qui ea conantur euertere, si quod Rescriptum [f], si qua fortè Lex prætenditur, erutæ huiusmodi chartæ ex eorum manibus ad nostram scientiam [g] * * * Si [h] inlicitis euectiones aut suo aut alieno nomine potuerint demonstrare, quas ablatas ad nos mitti decernimus. Qui verò talibus cursum præbuerint, binas auri libras inferre cogantur. Dat. IV. Kal. Feb. Rau. Theodoro, V C. Conf. [i. A. D. 399.]

d] Veluti, Lauacrorum *l. 20. inf.* Porticuum, Palatiorum, &c. e] i. Simulacra v. Glossas. Errant enim, qui hoc ad templa referunt. f] v. *l. 19. inf.* ibi, *cùm hoc &c.* g] Vox, *Perferantur* hîc supplenda: pro quâ in Cod. Iust. est, *referantur*. h] Hæc huius l. pars meliùs sub titulo *de cursu publico* collocata fuisset: vbi dicam. Et priora tamen eius verba sic interim restituo. *si qui inlicitas*: mox, *eas oblatas*.

Ornamenta publicorum Operum per Hispanias & Britannias hâc Honorii Lege dirui seu euerti vetantur. Et alia tamen mox eidem Honorio *l. 18. & 19 & 20* per Africam, mens fuit. *Operum publicorum ornamenta* quæ ait, Simulacra operibus publicis affixa, accipe: vt puta, quæ Lauacrorum seu balneorum Simulacra sunt *l. 20. inf.* vbi dicam. Item simulacra quæ in foro, ἀγάλματα (inquit Xenophon *l. 4.*) τῶν ἐν ἀγορᾷ θεῶν: Vnde θεοὶ ἀγορᾶς ἐπίσκοποι Aeschylo *in Thebaide*, v. & Plautum *Bachidibus*, & Prudentium, *in Agone Romani*. In plateis & compitis quoque simulacra fuisse docet Lucianus *in Promethe*o μεστὰ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί, πᾶσαι δὲ ἀνθρώπων ἀγοραί. De omnibus his, & aliis, Tertulliani locus hic *de spectaculis c. 8.* notandus maximè, *Cæterùm & platea & forum & balnea, & stabula sine idolo non sunt, &c.*

Cæterùm, in inscriptione Legis huius, hæ notæ *PP. Hispaniarum*, sic explicandæ sunt, *Proprefectis Hispaniarum*, i. Vicario Hispaniarum: Vicarii namque Propræfectis diœceses sibi creditas temperare dicuntur *l. 4. hoc cod. Cod. sup. de proxim. com. disp.* & Propræfectis diœceses regere, curare, apud Ammianum *lib. 23. vbi de Alypio. & lib. 27. vbi de Ciuili agit*. In veteri denique inscriptione, SYMMACHVS PROPRÆFECTIS PRÆTORIO IN VRBE ROMA FINITIMISQVE PROVINCIIS. Ideoque & apud Symmachum *lib. 10. ep. 36. Vicarii secunda iudicia* vocantur: & *Vicarii dignitas* apud Ausonium *in Mosella, Præfecturarum titulus secundus*, dicitur. Cur autem notæ hæ *PP.* in huiusce legis in-

inſcriptione *Præfectum Prætorio* denotare non poſſint, cauſa hæc eſt: quòd Hiſpaniæ Vicarium tantùm, non PP. habuerint: qui Vicarius vnà cum Hiſpaniâ, ſub diſpoſitione Pſ. P. Galliarum erat, vt ex Zoſimo, Sulpitio Seuero *lib. 2. ſacræ Hiſtoriæ* (qui circa an. 400. Hiſtoriam ſuam conſcripſit) & ex Imperii Notitia & *l. 1. ſup. de burgariis & l. 10. ſup. t 2. lib. 6.* certiſſimum eſt. Sed & Claudianus, hoc ipſo Conſulatu, ſeu anno 399, teſtis locupletiſſimus, cùm de Theodoro PP. Galliarum agens, Hispana, inquit, *tibi Germanaq; Thetis Paruit, & noſtro diducta Britannia mundo*. Verùm quid verbis opus, cùm hoc eodem Codice Conſtitutio quædam extet, quæ Macrobium hunc hoc tempore Proprælectis ſeu Vicarium PP. Galliarum fuiſſe diſertis verbis oſtendat? Ea eſt *lex 61 ſup. de curſu publico*, quæ ad Vincentium PP. Galliarum ſequẽte an. 400. data proponitur. Macrobium, inquit, *inlicita præſumptione euectiones feciſſe conſtitit, cùm neceſſitas publica non flagitaret, quiq; multam temeritatis excepit. Ne autem idem in futurum contingat, Sublimitas tua* Vicarios *admonebit, vt ab huiuſmodi vſurpatione nouerint abſtinendum.* Quæ lex etiam ad illuſtrandam poſtremam huius Legis partem maximè facit.

Qui Macrobio in inſcriptione *Vicarius quinq; prouinciarum* adiungitur, eum, non alium quàm Vicarium Britanniarum accipiendum, Tùm, ex adiuncta Vicarii Hiſpaniarum appellatione liquidò mihi conſtat; Tùm, quia Britanniam in quatuor aliquandiu prouincias (Rufo teſte *in breuiario ad Valentinianum*) diuiſam, quintâ, Valentiâ ſcilicet, (circa A. D. 374.) auctam fuiſſe, Ammianus *lib. 28.* docet: Denique, quia Imperii Notitia ſub Vicario Britanniarum diſertim Quinq; prouincias (& has quidẽ, *Maximam Cæſarienſem*, *Valentiam*, *Britanniam ſecundam*, *Flauiam Cæſarienſem*) fuiſſe teſtatur. Eadem certè prorſus ratione, Acilius Glabrio Sibidius in Veteri inſcriptione, Vicarivs per Gallias Septem Provinciarvm vocatur. De quo in libello noſtro, quem de Galliarvm diuiſione inſtituimus.

§ Templa *in agris per Phœnicen Libani, ab Arcadio ſine tumultu dirui iubentur.*

XVI. Iidem AA. Eutychiano P. P. [a]

Si

a] Orientis. *v. ſup. l. 33. de hæreticis. l 8 de cenſitor l. 25 de erog. mil. ann. l. 57. de appellat. l. 1 de nauibus non excuſ.*

b] *pro*, Proposita, vel *publicata*. Errat enim Arcadius Imp. hoc tempore Constantinopoli vt probat *lex 36. suprà. de hareticis*.

Si qua in agris Templa sunt, sine turbâ ac tumultu diruantur: His enim deiectis atque sublatis omnis superstitionis materia consumetur. Dat.[b] III. Id Iul. Damasco. Theodoro. V. C. Cons. [i. A. D. 399.]

Templa per Orientem quædam ante biennium iam Arcadii Constitutione destructa fuisse *lex 36. supr. de public. oper.* docet. Hâc autem Lege, per Phœnicen Libani nominatim, templa in agris ab eodem Imp. sine tumultu dirui, (ad Ioannis Chrysostomi videlicet suggestionem,) iubentur. Pertinet enim hæc lex ad id, quod Theodoretus *lib. 5. c. 29.* de Ioanne Chrysostomo agens (qui superiore anno 398. Episcopus ordinatus fuerat, vt Socrates *lib. 5. c. 2.* testatur) scribit. Μαθὼν δὲ τὴν ΦΟΙΝΙ΄ΚΗΝ ἔτι περὶ τὰς τῶν δαιμόνων τελετὰς μεμηνέναι, ἀσκητὰς μὲν ζήλῳ θείῳ πυρπολουμένους συνέλεξε: ΝΟ΄ΜΟΙΣ δὲ αὐτοὺς ὁπλίσας ΒΑΣΙΛΙΚΟΙ͂Σ κατὰ τῶν εἰδολικῶν ἐξέπεμψε τεμενῶν, & mox, τοὺς μὲν οὖν ὑπολειφθέντας τῶν δαιμόνων ΣΗΚΟΥ͂Σ ἐκ βάθρων ΑΝΕ΄ΣΠΑΣΕΝ. Ideoque Data lex hæc (i. proposita seu publicata) Damasci dicitur, quæ vrbs Metropolis Phœnices Libani erat, vt auctor libelli (qui Hieronymo falsò tribuitur) *de locis Hebraicis in actis Apostol.* ostendit. Eadem ratione, quâ *lex 83. sup. de decur. & l. 9. sup. de filiis milit. apparitor*, Petro Consulari Phœnicis Damasco scriptæ dicuntur: Sic enim solitæ leges in Metropolibus proponi: & Magistratus quoque prouinciarum in Metropolibus sedem constituere, vt proprio in id loco fusiùs à nobis dicetur.

Cæterùm, Arcadius h. l. templa in agris Phœnices sine tumultu dirui iubet. Verùm, euentus huic rei minùs respondit, vt pote tumultu maximo per Phœnicen ob id exorto, plurimis Monachorum vulneratis, nõnullis etiam cæsis, vt ipsemet Chrysostomus *ep. 123. & 126.* testatur.

* *L. 4. C. Inst. eodem.*

a] Apollodorum hunc Proconsulẽ fuisse, docet etiã Symmachi *ep. 13. lib. 8.* Et Africæ quidẽ, *ep. 14. & 48. li. 9.*

§ Votis *publicis exigentibus. Honorius. Ludos & conuiuia per Africam, citra Sacrificia, agitari permittit.*

*XVII. * Iidem AA. Apollodoro [a] Proc. Afric.*

Vt

VT profanos ritus [b] iam salubri lege [c] submouimus, ita festos conuentus ciuium [d] & communem omnium lætitiam [e] non patimur submoueri · Vnde, absque vllo Sacrificio atque vllâ superstitione damnabili, exhibere [f] populo voluptates [g] secundum veterem consuetudinem, inire [h] etiam festa conuiuia [i], si quando exigunt publica Vota [k], decernimus. Dat. XIII. Kal. Sept. Pataui. Theodoro V. C. CONS. [i. A. D. 399.]

b] i. Sacrificia. & simulacrorum cultum. c] Quæ non extat. d] Conuentus vrbis *l. 8 sup.* v. GLOSSAS. e] i. Ludos & conuiuia. *κοινὴν πάντων εὐφροσύνην.* Asterius *Homiliâ in festum Kal. habita an. 400.* Publicum gaudium, Tertullianus *Apologet. c. 35.* f] Exhiberi populorum, ita *Cod. Iust.* habet. g] i. Ludos v. GLOSSAS. h] Ministrari in. *C. Iust.* i] v. *l. 19. & 20.* k] *v. l. 8. suprà.*

VOTIS publicis exigentibus (de quibus nobis *ad l. 8.* superiùs actum) Ludos & conuiuia per Africam agitari, citra Sacrificia tamen, Honorius hâc adhuc Constitutione permittit. Quod posteà tamen *l. 19. inf.* prohibuit. Iungenda porrò huic legi *lex 1. inf. de religione*, nam vtriusq; legis inscriptiones & subscriptiones conueniunt. Illud hîc, de Festis conuiuiis istis notandum, inita ea in publico, & vicatim. Tertullianus *in Apologetico c. 35.* de festiuitatibus his agens, *Grande videlicet*, inquit, *officium, focos & toros in publicum educere.* VICATIM EPVLARI, *ciuitatem taberna halitu obolefacere.* Idem *c. 42.* *Non* IN PUBLICO *Liberalibus discumbo.*

¶ *ÆDES, prohibitis quàm libet Sacrificiis, & Simulacris euerti iussis, Honorius per Africam destrui vetat.*

XVIII. Iidem AA. Apollodoro. [a] Proc. Afric.

ÆDes [b], inlicitis rebus [c] vacuas nostrarum beneficio [d] Sanctionum, ne quis conetur euertere. Decernimus enim, vt Ædificiorum qui-

a] *v. l. 17. s.* b] Publicas, vel priuatas *v. l. 19. inf.* c] i. Aris & simulacris. d] i. Prætextu legum, quib. simulacra vbique euerti seu deponi iussa fuerant.

e] in Sacrificio.
f] Iam antea latis: ac proinde, capitali pœnâ.
g] Forte XIII. vt ita lex hæc superiori legi iungatur.

dem sit integer status. Si quis verò Sacrificio [e] fuerit deprehensus, in eum legibus [f] vindicetur, depositis sub officio idolis (disceptatione habita) quibus etiam nunc patuerit cultum vanæ superstitionis impendi. Dat. III. [g] Kal. Sept. Pataui. Theodor V. C. Cons. [i. A. D. 399.]

Sacrificia ab Honorio per Præfecturam Prætorianam Galliarũ prohibita penitus fuisse *ex l. 15. sup.* iam vidimus. Per Præfecturam Prætorianam Italiæ, & Africam nominatim, sicut *ex proxima superius l. 17.* sic & *ex h. l.* rursum discere licet. & quidem sub pœnâ capitis, quod etiam Augustinus *ep. 48.* docet. *Quis nostrûm*, inquit, *quis vestrum non laudat leges ab Imperatoribus datas aduersus Sacrificia Paganorum? Et certè longè ibi pœna seuerior constituta est: illius quippe impietatis capitale supplicium est.* Idem rursus *lib. 1. aduersus Petilianum*, *Iussa sunt*, inquit, *recentibus legibus inhiberi Sacrificia sub terrore capitali.* Simulacra pariter seu Idolola, vbicunq; collocata, deponi seu euerti Honorium iam anteà iussisse, hæc & sequens *lex 19.* ostendunt: & de Africâ nominatim, iuxta hanc legem, Augustinus *d. lib. 1. aduers. Petil.* confirmat: *Paganorum*, inquit, *Simulacra euerti atque confringi iussa sunt recentib legibus:* & rursum *ep. 120. Leges*, inquit, *quæ de Idolis confringendis, viuo Stilichone in Africam missa sunt, ex voluntate Imperatoris constituta.* &c. At Ædificia ipsa nihilominus hoc prætextu dirui Honorius *h. l. vt & l. 19. & l. 20. inf.* vetat. Et D. Augustinus tamen *lib. 18. de Ciuitat. Dei cap vlt.* hoc ipso anno 399. paucis ante hanc legem latam mensibus, Templa Karthagine euersa fuisse testatur. *Consule Manlio Theodoro*, inquit, *in ciuitate notissimâ & eminentissimâ Carthagine Africa, Gaudentius & Ionius Comites Imp. Honorii, XIV. Kal. April. falsorum deorum templa euerterunt, & simulachra fregerunt.* Quem locum Prosper *lib. de promissionibus Dei parte 3.* enarrans, templa tantum exspoliata (non etiã euersa) fuisse scripsit. Deinde in eo lapsus Prosper, quòd Theodosii Imperio factum id tradidit. Biennio sanè, post hanc legem latam, (i. an. D. 401.) Patres Africani Legationem ad Imperatorem Honorium decreuere, ἵνα οἱ ναοὶ τῶν εἰδώλων οἱ ἐν τοῖς ΑΓΡΟΙΣ καὶ ἐν ἀποκεκρυμμένοις τόποις, χωρὶς τινὸς εὐκοσμίας καθεστῶτες παντὶ τρόπῳ κελευσθῶσι καταστραφῆναι, vt habetur *canone 58. Codicis Africani.* Ad Templa in Agris destruenda duo blandiebantur maxi-

maximè. Primùm, quod superstitio aliter in agris aboleri non posset vt lex. *16. supr.* docet: Deinde, quòd ornatui publico, deiectis iis, vix quicquam detraheretur: *d. canon. 58.*

---

§ ANNONÆ *Templorum ab Honorio ærario militari vindicantur.* SIMVLACRA *vbique euelli iubentur.* ÆDIFICIA *templorum publicorum vsui publico vindicantur.* ARÆ *vbique destrui iubentur, &c. v.* NOTAS.

XIX. Imppp. Arcad. HONORIVS *& Theodos. AAA. Curtio PF. P.*[b]

Post alia[c].

TEmplorum detrahantur Annonæ, & rem annonariam iubente[d], expensis deuotissimorum[e] militum profuturæ. Simulacra, si qua etiam nunc in templis fanisque consistunt, & quæ alicubi[f] ritu[g] vel acceperint vel accipiunt paganorum, suis sedibus[h] euellantur: cùm hoc repetitâ sciamus sæpiùs sanctione[i] decretum. Ædificia ipsa templorum[k], quæ in ciuitatibus vel oppidis vel extra oppida sunt, ad vsum publicum vindicentur. Aræ locis omnibus[l] destruantur, Omniaque Templa in possessionibus nostris ad vsus adcommodos transferantur: domini[m] destruere cogantur. Non liceat omninò in honorem sacrilegi ritus funestioribus locis exercere conuiuia[n], vel quicquam solemnitatis[o] agitare. Episcopis quoque locorum hæc ipsa prohibendi, Ecclesiasticæ manus tribuimus facultatem. Iudices autem xx. Librarum auri pœna constringimus, & pari formâ officia eorum

a] Arcadii nomen hic inducendum: Iam enim Kalendis Maii huius anni 408. Arcadius obierat. Socrates *lib. 6. c. 2.*

b] Italiæ *v. l. 5. sup. de decur. v. Roma.*

c] Verba hæc indicant hanc legem, ex lege quæ plura (& quidem etiam anteriora) capita côtineret, desumptam.

d] *χ.* Iubent. i. iuuent.

e] v. GLOSSAS.

f] Vbicunque, etiam in publicis & priuatorum ædib⁹. *l. 18. suprà.*

g] *χ.* Ritum. *vel l. 18 sup.* cultum.

h] v GLOSSAS.

i] *v l 15 sup.*

k] Publicorū.

l] Tàm publicis quàm priuatis.

m] Possessionum, in quibus templa sunt.

n] *v. l. 8 & 17 suprà.*

o] *κυρίως.* v. GLOSSAS.

si hæc eorum fuerint dissimulatione neglecta. Dat. XVII. Kal. Dec. Romæ Basso & Philippo Coss. [i. A. D. 408.]

Annonæ templorum, ærario militari hâc Honorii lege vindicantur. *Simulachra*, vbiq; euelli: *Aræ*, vbique destrui: *Templa* publica, vsui publico vindicari: In possessionibus Principis constituta, ad alios usus transferri: In priuatorum fundis extantia à dominis destrui iubentur. *Conuiuia & ludi* postremò Gentilium prohibentur.

Coniungenda autem huic legi *lex 43. supra. de hæreticis*, quæ etiam hanc legem ad Africam potissimùm pertinere ostendere videtur. Enimuerò, Stilichone (hoc ipso anno 408. 10. Kal. Septemb. vt Zosimus *lib. 5. p 811.* testatur) cæso, illico Pagani & Hæretici per Africam iactare cœperunt, leges contra se ritusque suos ante hos annos ab Honorio promulgatas (vt puta *l. 17. & 18. sup.* similesque alias) non ab Imperatore, verùm à Stilichone profectas esse; eoque vnà cum cœteris Stilichonis actibus, eas quoque leges rescindendas. Ideò & Patres Africani, hoc anno 3 Id. Oct. (quod Africanus Codex docet) Legationem ad Honorium contra Paganos & hæreticos decreuêre: & D. Augustinus nominatim *ep. 129.* ad Olympium Magistrum Officiorum, (cuius etiam Olympiodorus apud Photium meminit) scribendum sibi putauit, quò videlicet leges illæ, quas dixi, confirmarentur. Itaque ipso Olympio instante, huius anni fine, & principio sequentis, leges aduersus Paganos & Hæreticos latæ, confirmatæ ab Honorio fuerunt. *l. 43. & 46. sup. de Hæreticis.* quarum priorem huic l. 19. coniungendam diximus. Eoque amplius, (Constitutione ad prædictum Olympium Magistrum Officiorum datâ) Catholicæ sectæ inimici (i. Pagani) intra Palatium militare prohibiti fuêre. *l. 42. sup. de hæreticis.* Cuius legis Zosimus quoq; *lib. 5. p. 820.* meminit de quâ, &, ad eam *l. & ad l. 21. inf.* dicetur.

Annonæ porrò *Templorum*, seu (vt à Tertulliano *in Apologetico c. 52. & de Idololatria c. 7.* vocantur) *templorum vectigalia*, erãt ea, quę epulis & sumptib. sacrorum Gentilitiorum deputabantur *h. l* Ideò & *sumptus publici l. 20. inf.* dicuntur. In eum certè finem loca quædam seu ædificia & possessiones destinatæ erant, vt iam *in Partitlo* diximus. Vectigalium ideò agrorum Virginibus Vestalibus & Sacerdotibus adsignatorum Hyginus, & incertus alius auctor *de limitibus*, & Siculus Flaccus *de condit. agr.* & Frontinus *de Coloniis* meminêre: & insignis quo-

quoque apud Strabonem *lib. 12.* locus de Sacerdotalibus. & templorum per Cappadociam reditibus: quibus postea fisco vindicatis administrandis præpositus, vt existimo, Comes domorum per Cappadociam, vt *ad l. 2. sup. de Palat. S. L.* dicetur. Neque tantùm ex fisco, sed ex priuatorum quoque liberalitate reditus hi proficiscebantur, vt ex *Symmachi relatione* constat. Hæ igitur templorum annonæ hâc Honorii lege, Theodosii Patris Gratianique exemplo tolluntur. Nam & à Gratiano publicos sumptus annonasque templorum, prædiaque sacris deputata variis locis (Romæ etiam) detracta fuisse, & Symmachus *Relatione ad Valentinianum* & Ambrosius *Symmacho respondens* & *l. 20. inf. ht.* testantur. Et Theodosius postea Eugenio cæso (qui annonas templorum Flauiano PP. & Arbogasti petentibus concesserat, vt Paulinus *in v. Ambrosii*, & Ambrosius ipse *in ep. ad Eugenium* tradunt) ea rursum detraxit, vt ex Zosimi *lib. 5.* constat: militaribus videlicet annonibus profutura, vt idem Zosimus *fine lib. 4.* prodit.

Prohibentur & hâc lege contra quàm anterioribus legibus, (puta *l. 8. & 17. supr.*) visum fuerat, Paganorũ festa conuiuia solemnitatesq; in honorem ritus Gentilitii. Quò pertinet, quod D. Augustinus *ep. 202. ad Nestorium* scribens: *Contra recentissimas*, inquit, *Leges, Kalendis Iunii die festo Paganorum Sacrilega Solemnitas agitata est.* Quo loco idem Leges has, *Leges notissimas* vocat.

---

§ Sacerdotales *per Africam ad ciuitates suas redire:* Loca *Sacris Gentilium deputata, rei priuatæ sociari:* Simvlacra *publicis locis omnibus destrui iubentur.* Chiliarchae *&* Centonarii *inhibentur.*

* *L. 5. C. Iust. eodem.*

a] *Populo Karthaginensi.* Hoc additum in Cod. Iust.

XX. *Impp. Honorius & Theodosius AA.* * * [a].

I. *de Sacerdotibus.*

SAcerdotales paganæ superstitionis competenti coërcitioni subiacere præcipimus, nisi intra diem Kal. Nouembrium de Karthagine [b] decedentes, ad ciuitates redierint genitales: Ita, vt simili quoque censurâ per totam Africam Sacerdotales obnoxii teneantur, nisi de Metropolitanis [c] vrbibus discesserint, & remearint ad proprias ciuitates.

b] Karthagine Sacerdotales prouinciæ proconsularis, editiones exhibitæ. *v. l. 176. sup. de decurion.*

c] De his dicã in Notitia nostrâ,

II. *de Annonis Templorum.*

d] i. Priuatæ rei Principis.

e] v. Glossas.

f] i. eâ conditione.

g] ℞. vt quodcunque.

h] Occidentali: est enim hæc lex Honorii.

i] i. Vindicabit.

k] i. Medii temporis.

l] ℞. Quæq;.

m] ℞. Epolis. v. Notas.

n] ℞. Fas sit.

o] ℞. Sacrata: simulacra sc.

Omnia etiam Loca, quæ sacris error veterum deputauit, secundum Diui Gratiani constituta, nostræ rei [d] iubemus sociari: Ita, vt ex eo tempore, quo inhibitus est publicus sumptus superstitioni deterrimæ exhiberi, fructus ab incubatoribus [e] exigantur, cum eo iure [f] vbicunque [g] ad singulas quasque personas, vel præcedentium Principum largitas, vel nostra Maiestas voluit peruenire, id in eorum patrimoniis æternâ firmitate perduret (quod non tam per Africam, quàm per omnes regiones in nostro Orbe [h] positas custodiri decernimus) Ea autem, quæ multiplicibus constitutis ad Venerabilem Ecclesiam voluimus pertinere, Christiana sibi meritò religio vindicauit [i]. Ita vt omnis expensa illius [k] temporis ad superstitionem pertinens, quæ iure damnata est, omniaque loca quæ Frediani, quæ Dendrophori, quæ singula quoq; [l] nomina & Professiones Gentilitiæ tenuerunt, epholis [m] vel sumptibus deputata, fas est, [n] hoc errore submoto, compendia nostræ domus subleuare.

III. *de Simulacris.*

p] i. Homines in errorem induxerunt.

Sané, quæ quondam sacratæ [o] sacrificiis deceptionem hominum præstiterunt [p], ab vsibus lauacrorum [q] vel publicis affectibus [r] separentur, ne inlecebram errantibus præstent.

IV. *de Chiliarchis & Centonariis, &c.*

q] i. Balneorum.

r] ℞. Aspectibus. v. Glossas.

Chiliarchas insuper & Centonarios, vel qui sibi plebis distributionem vsurpare dicuntur, censuimus remouendos, ita vt capitalem sententiam non euadat, si qui aut volens ad huiusmodi nomen accesserit, aut passus fuerit, vel inuitum se huiusmodi præsumptioni atque inuidiæ deputari. Dat. III. Kal. Sep. Rau. Hon. x. & Theod. VI. Coss. [i. A. D. 415.]

Sacer-

Sacerdotales Africæ emenso certo tempore, post Sacerdotales in Metropolitanis vrbibus ludorum editiones, ad quas de more conuenerant, ad proprias seu originarias ciuitates hâc Honorii lege redire iubentur: Quæ & ipsa *legis 176. sup de decurionibus.* antea triennium latæ, sententia est. Hoc ideò, ne videlicet Curiæ, è quibus sacerdotes eligebantur (vt in Paratitlo diximus) diminuerentur.

Loca etiam Sacris Gentilium deputata, Gratiani exemplo, per Africam priuatæ rei sociari hl. iubentur. De quo iam *ad l. 19. sup* dictum. Exceptis his, quæ vel priuatis vel Ecclesiis à principibus ex his donata fuerant. Sic enim hîc legendum *cum eo iure, vt quocunq;, &c.* De *Fredianis* & *Dendrophoris* id primùm (& ex hâc quidem l.) tenendum, professiones Gentilitias per Africam fuisse, i. corpora seu collegia paganæ superstitionis: Vnde titulus *de Centonariis & Dendrophoris*, hoc eodem Codice *lib. 14.* immediatè titulo *de Collegiatis* subditus reperitur. Et sanè, Dendrophororum quoque Collegii mentio fit in veteri hac inscriptione: Collegii Dendrophororum quibus ex S. C. Coire Licet, &c. Secundò, ex hâc etiam l. apparet, Fredianos & Dendrophoros loca quædam festis conuiuiis, & sumptibus (in sacra videlicet ludosque) faciendis deputata tenuisse: ac proinde Fredianis & Dendrophoris festorum conuiuiorum, aliorumq; sumptuum in Paganorum solemnia & ludos curam incubuisse. Sic enim in hâc lege reponendum existimo, *Epulis vel sumptibus. Epulis* inquam, quæ *l. 19.* conuiuia: *& l. 11. sup.* festa conuiuia dicuntur. Quas *Epulas*, pariter, *Epulas Sacras* Prudentius *lib. 1. contra Symmachum* vocauit. *Iano etiam*, inquit, *celebri de mense litatur Auspiciis* Epulisque Sacris, *quas inueterato, Heu miseri, sub honore agitant, & gaudia ducunt Festa Kalendarum.* Quod de Fredianis & Dendrophoris diximus, id ipsum fermè de Chiliarchis & Centonatiis siue Centenariis sentiendum est. Nam & Dendrophoris Centenarii prædicto titulo *lib. 14. sup.* coniunguntur: & de his etiam hâc huius tituli de paganis, lege agitur. Cæterùm, fit eorum quoque mentio in. *l. 162. sup. de decurion.* & in Synodo Trullensi *Canon. 61.* vbi ἑκατοντάρχαι dicuntur. De omnibus his sanè, similibusque Tertullianum *cap. 11. de spectaculis* sensisse existimo, cùm Collegiarios Agonum Ministros dixit. Addantur his & Vitutiarii & Nemesiaci, de quibus & *l. 2. sup. de collegiatis* & apud Commodianum, sub titulo *de uanis Nemesiacis*, agitur. Iubentur hac etiam lege. ea quæ sacrificiis sacrata fuerant, (i. simulacra Deorum sacrificiis coli solita) ab vsibus Lauacrorum

rum, & à publicis aspectibus (sic enim repono) separari, i. deponi, dirui. In publicis quippe locis passim simulacra fuisse, ad *l. 15.* iam suprà notatum est. De Lauacris nominatim, seu balneis, iuxta hanc legem, Tertullianus *cap. 8. de spectaculis.* testis. *Et platea*, inquit, *& forum & Balneæ, & stabula, sine idolo omninò non sunt.* Ambrosius quoque *lib. 2. aduersus Symmachum. Sacrificia*, inquit, *vbiq; concelebrant: Non illis satis sunt Lavacra, non porticus, non platea occupata simulacris.* Et Prudentius pariter *aduersus Symmachum lib. 2. Cùm portis, domibus, Thermis, stabulis soleatis, Vrbis perq; locos Geniorum millia multa Fingere.* Simulacra itaque, seu idola inter ornamēta operum publicorum Honorius superstitioni penitùs eruēdę censeri prohibet: quod etiam lege 18. & 19. suprà iam sanxerat: contra id quod *l. 15.* quondam censuerat. Et in eo itaque Constantinus errauerit, qui detracta templis simulacra ad nouæ vrbis Constantinopolitanæ ornatum, & ad opera publica transtulit: quod ab eo factum Zosimus *lib. 2. p. 687.* testatur.

---

§ Pagani *Militiâ & Dignitatibus ab Arcadio arceantur.*

XXI. *Iidem AA. Aureliano P.E. P.* * *Post alia.*

* 11. i. Secundùm: & quidem, Oriētis. v. anno superiore 415. *l. 58. sup. de hæreticis* (Cuius l. fine idem de Eunomianis quod h. l de Paganis, constituitur) v. & Fastos Siculos *d. an. 415.*

QVi profano pagani ritus errore seu crimine polluuntur, hoc est Gentiles, nec ad Militiam admittantur, nec Administratoris vel Iudicis honore decorentur. Dat. vii. Id. Dec. Dn. Theodosio vii. & Palladio Coss. [i. A. D. 416.]

Gentiles à Constantini temporibus ad hæc vsque tempora & ad militiam, & ad summas Imperii Palatiique dignitates à Principibus admissi fuêre. Prudentii inter alios, *aduersus Symmachum li. 1 scribentis*, locus in hanc rem de Theodosio M. insignis. *Sacricolis*, inquit, *summos impertit honores Dux bonus, & certare sinit cum laude suorum: Nec pago implicitos per debita culmina mundi Ire viros prohibet: Quoniam cœlestia nunquam Terrenis solitum per iter gradientibus obstant*, &c. Primus Honorius, Theodosii quem dixi filius, per Occidentem, Catholicæ sectæ inimicos, i. Paganos, intra

intra Palatium & inter Domesticos militare, anno 408. prohibuit: vt *lex 42. sup. de hæreticis* ostendit quam legem in hunc titulum relatam potiùs oportuit. Nam & eius legis Zosimus, quasi in Paganos latæ, *lib. 5. p. 820.* meminit. Νόμος, inquit, εἰσηνέχθη τοῖς οὐκ οὖσι Χριστιανοῖς ζώνην ἐν τοῖς βασιλείοις ἔχειν ἀπαγορεύων. Verùm addit idem scriptor, eam legem mox abrogatam: Quod biennio post (nēpe Anno Domini 410.) accidit. Eò namque referendum censeo, quod in actis Africani concilii, eo an. 410. habiti, verbis his continetur. ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ νόμος ἐδόθη, ἵνα ἐλευθέρᾳ προαιρέσει ἕκαστος τῆς Χριστιανότητος τὴν ἄνξησιν ἀναδέξηται. Et tulerat eam legem Honorius, summâ Paganorum (eo anno 408.) iniquitate coactus: vt pote, qui Eucherium Stilichonis filium, Paganum, & Christianorum persecutionem meditantem, se (Honorio) Imperii sede deiecto, Cæsarem ordinare moliti fuerant: vt ex Orosio *lib. 7. c. 38.* & Marcellini *Chronico* constat.

Neque absimili proculdubiò ratione Theodosius Iunior permotus, ad hanc legem promulgandam, descendit. Recentissimum certè, hoc ipso anno 416, Paganorum & Attali aduersus Honorium patruum suum facinus (de quo inter alios Sozomenus *lib. 9. c. 9.*) cautiorem eum hâc parte reddere debuit.

¶ Sacrificantium *pœna à Theodosio Iun. confirmantur.*

XXII. Iidem AA. Asclepiodoto PF. P. [a] *Post alia.*

PAganos qui supersunt (quanquam iam nullos esse credamus) promulgatarum Legum iam dudùm præscripta compescant [b], &c. Dat. v. Id April. CP. Asclepiodoto & Mariniano Coss. [i. A. D. 423.]

a] Orientis. *v. l. 1. de prad. & mancip. Curialium.*

b] & à Sacrificiis arceant.

In Paganos, Hæreticos & Iudæos promulgatæ anteà leges hâc rursum constitutione, *& l. 26. sup. de Judæis. & l. 5. suprà. ne Christianum mancip. Iudæus: & l. 59. sup. de hæreticis,* à Theodosio Iuniore confirmantur: Sunt enim hæ leges omnes vnius Theodosianæ constitutionis portiones: ac proinde inter se coniungendæ. Hanc sanè legem 22, Theo-

doretus *lib. 5. c. 36.* intellexisse mihi videtur, cùm à Theodosio Iuniore Paganorum superstitionem adeò profligatam scripsit, ὥστε τοὺς μεθ' ἡμᾶς ἐπιμελῶς μηδὲν ἴχνος τῆς περιέργου ἐξαπάτης θεάζεσθαι & addit, τὴν δὲ διάνοιαν τῶν περὶ τούτων ἐνέπειξε νόμων.

---

§ SACRIFICANTIVM *pœna capitalis, proscriptione & exilio à Theodosio Iun. immutatur.*

XXIII. *Iidem AA. Asclepiodoto PF. P. Post alia.*

a] *Pro*, pœnæ. b] Volumus sc. vt ita vox hæc δεῖν τοῦ κοινοῦ repetatur. Vel, pro, *coerceri* legendum, *coercebis*.

PAganos qui supersunt, si aliquando in exsecrandis dæmonum Sacrificiis fuerint comprehensi, quamuis capitali pœnâ [a] subdi debuerint, bonorum proscriptione & exilio coërceri [b]. Dat. VI. Id. Iun. CP. Asclepiodoto & Mariniano Coss. [i. A. D. 423.]

SACRIFICANTIVM pœna Constantii constitutione capitalis seu gladii capitisque fuit, *l. 2. 4. 6 supr.* Valentiniani Iunioris pariter constitutione, sacrificantes diuinis atque humanis sanctionibus rei pronunciantur *l. 10. supr.* Theodosii M. legibus quoq; nullis exuendi indulgentiis dicuntur. *l. 11.* & maiestatis rei constituuntur. *l 13.* Honorius itidem leges paternas in eos exerceri voluit. *l. 18.* At Theodosius Iunior, capitali pœnâ abrogata, bonorum proscriptionis & exilii pœnam iis h. l. imponit. Et in hâc tamen mitiore sententiâ non perdurauit: vt pote, mortis pœnâ posteà per Illyricum reductâ, *l. vlt. inf.* Coniungenda autem huic *l. lex 24. proximè sequens: & lex 26. sup. de Iudæis.* Imò, & *lex 60. supr. de hæreticis* emendatâ eius subscriptione.

---

§ PAGANOS *quieté degentes à Christianis inquietari Theodosius Iun. vetat. Rapta ab his in triplum & quadruplum restitui iubet.*

XXIV. *Iidem AA. Asclepiodoto PF. P. Post alia.*

Mani-

MAnichęos, illosq; quos Pepitas [a] vocant, nec non & eos [b] qui omnibus hæreticis hâc vnâ sunt persuasione peiores, quod in venerabili die Paschæ ab omnibus dissentiunt, si in eadem amentiâ perseuerant, eâdem [c] pœnâ multamus * bonorum proscriptione atque exilio * [d]. Sed [e] hoc Christianis qui vel verè sunt vel esse dicuntur, specialiter demandamus, vt Iudæis ac Paganis in quiete degentibus, nihilque tentantibus turbulentum legibusque contrarium, non audeant manus inferre religionis auctoritate abusi: Nam si contra securos fuerint violenti, vel eorum bona diripuerint, non ea sola quæ abstulerint, sed conuenti in triplum & quadruplum quæ rapuerint restituere compellantur. Rectores etiam prouinciarum, officia & prouinciales [f] cognoscant, se si fieri permiserint, & [g] eos qui fecerint, puniendos. Dat. vi. Id. Iun. CP. Asclepiodoto & Mariniano Coss. [i. A. D. 423.]

a] ϰ. Pepuzitas.
b] Nouatianos. *v l. 6. supr. ne Sanctum baptisma.*
c] quâ Paganos. Relatiua quippe hæc vocula ad *l. 23 suprà.*
d] Quæ asteriscis inclusi, irrepticia puto.
e] Hinc desumpta *lex 6. C. Iust. eod.*
f] Græci hoc agnoscunt, cùm πολιτευομένους reddunt. Pro quo tamen Codex Iustin. habet, *principales.*
g] ϰ. Vt.

Paganos, vt & Iudæos quieté degentes à Christianis inquietari Theodosius Iunior *h. l.* (vt & *lege 21. & 26 sup. de Iudæis.*) vetat: Raptaque ab his, tripli & quadrupli pœnâ restitui iubet: Quæ ordinaria vi bonorum raptorum pœna est. Et Tribonianus tamen, quasi Iudæo vel Pagano quid extorquens minùs delinqueret, dupli pœnâ triplum & quadruplū hîc immutauit, *l. 6. Cod. Iust. de Paganis*, quam ex hâc alioquin lege desumpsit. Et hæc quidem de posteriore huius l. parte. Neque. n. prior huius legis pars, (non magis quàm potissima *legis 13.* & postrema *legis 15. ht.* portio,) ad hunc titulum pertinet: Cuius generis errores à Theodosiani Codicis Conditoribus complures admissi. Et hîc tamen monendum, in hac priori parte, pro *Pepitas*, reponendum, *Pepuzitas* vel *Pepyzitas*. Vt ex *l. 59. sup. de hæreticis* & *l. 5. Cod. Iust. eod.* & Epiphanio *in Panareto* & Sozomeno *lib. 7. c. 18.* constat: de quibus ad eam *l. 59.* nobis

dicendum erit. Deinde notandum, sequentibus his verbis, *nec non & eos*, &c. *Nouatianos* perstringi: vt ex *l. 6. sup. ne Sanctum baptisma*, & Sozomeno *d. c. 18.* apparet. De hâc l. vniuersâ id deniqùe sciendum, coniungendam ei legem *23. supr. & l. 27. sup. de Iudæis*.

---

§ Sacrificia *sub mortis pœna à Theodosio Iun. per Illyricum inhibentur.* Templa *destrui iubentur.*

XXV. *Impp. Theod. & Valentis, AA. Isidoro PF. P.* [a]

a] Illyrici. v. *l. 4. sup. de spectaculis. l. 33. sup. de annonâ & tribut.*

b] χ. Paganis.

c] i. Crucis.

d] i. Sacrificiis operam dedisse.

OMnibus sceleratæ mentis paganæ [b], exsecrandis hostiarum immolationibus damnandisque sacrificiis, antiquarum sanctionum auctoritate prohibitis, interdicimus: Cunctaque eorum fana, templa, delubra, si qua etiam nunc restant, integra, præcepto Magistratuum destrui, conlocationeque venerandę Christianę religionis signi [c] expiari pręcipimus: Scientibus vniuersis, si quem huic legi, apud competentem Iudicem idoneis probationibus, inlusisse [d] constiterit, eum morte esse multandum. Dat. XVIIII. Kal. Decemb. CP. Theod. XII. & Valent. II. AA. Coss. [i. A. D. 426.]

Sacrificia à Theodosio Iuniore per Illyricum Orientale sub pœnâ capitis *h. l.* interdicuntur: Templa item, quæ supersunt, destrui, & conlocatione crucis expiari iubentur. Quam Crucem Theodosius *h l. Signum venerandæ religionis Christianæ* vocat: At *in l 18. sup. de Iudæis Signum fidei nostræ*: & in *l. vn. Cod. Iust. nemini licere signũ &c. Signum Saluatoris* dicitur. & σημαντρον πιστῶν τῦ θεῦ ἀδιαχώριστον Chrysostomo: Quid amplius? *sanctam*, idem Theodosius *d. l. 18. sup. de Iudæis* vocauit: & post eum Leo *l. 26. Cod. Iust. de Iudæis*, *Venerabilem*: & alter Leo *Nouellâ 72*, *Sacrosanctam*. Hinc etiam factum, vt collocatione eius profana loca expiarentur, & Deo consecrarentur: vt ex *h l. & Nouellâ Iustiniani. 5. c. 1. & 67. c. 1. & 131. c. 7*, apparet.

FINIS.